ſcientia eadem vobis eſſent præſtanda, quæ ſine hac. Verum ſi altera ex parte vobis Deus veſtram oſtenderet reprobationem, quinam vobis incederet horror, quo dolore cor veſtrum tabeſceret, quænam veſtra eſſet contra Deum querela, qui vobis ſuavem abſtuliſſet ſpem, quam ipſi etiam in vita hac reprobi poſſunt habere? Quænam ſeveritas, diceretis, infernum veſtrum ab illo prævifum fuiſſe, antequam illum meriti fuiſſetis? Præterea, ſi prædeſtinati certo ſcirent ſe prædeſtinatos eſſe, nonne & vitæ hujus voluptatibus vellent perfrui? voluptates enim eas habent illecebras, quæ & juſtiſſimum quemlibet allicere poſſunt. Si igitur timoris frænum fractum fuiſſet futuræ pœnitentiæ certitudine, quam ſibi prædeſtinati promitterent, quid non auderent?... Etiamſi perſuaſum nobis ſit de vitæ noſtræ fragilitate, deque noſtræ ſalutis incertitudine, in peccato perſiſtimus tamen, perinde ac ſalus noſtra eſſet certa; quid tandem eſſet, ſi noſtræ prædeſtinationis eſſemus ſecuri? Sin autem prædeſtinati felicitatis ſuæ cognitione abuterentur, quomodonam uterentur reprobi reprobationis ſuæ cognitione? Virtutem relinquerent, atque vitæ hujus voluptatibus aditerentur compenſare pœnas in inferno perferendas. *P. de la Rue ſermone pro feria 4. hebdomadæ Paſſionis.*

Per bona opera unice prædeſtinamur, & ſalutem noſtram operamur.

Bona tantum opera ſalutem operantur noſtram, & ſi nihil per Deo in hac vita fecero, nullam in altera coronam habebo. Quid mihi prodeſt ad examen revocare, utrum me prædeſtinaverit Deus omnia opera bona mea prænoſcens, an opera bona mea ſint hujus prædeſtinationis effectus? *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* Unicum illud nobis capiendum eſt conſilium, certam faciendi noſtram prædeſtinationem noſtro in bonis operibus fervore; atque ut illa certa fiat, expectandum non eſt teſtimonium Angelorum; de fide illorum dubitare poſſetis; certius eſt operum veſtrorum teſtimonium. Per virtutum exercitationem, & occaſionum fugam, veram ſalutis veſtræ viam ingrediemini; atque forti, conſtantique tentationibus reſiſtentia, necnon horrore peccati in eadem permanebitis; ſed potiſſimum conſiderate, utrum in vobiſmet ſentiatis ſecretum hoc teſtimonium, vos nempe facere, quidquid poteſtis, ac pro Deo univerſa relinquere. Si has in corde ſentitis diſpoſitiones, certi eſtis ſalutis veſtræ: verum ſi erga illas aliquam invenitis repugnantiam, jam de prædeſtinatione veſtra ambigere incipio. Verum quidem eſt vos adhuc in hac terra verſari, ideoque judicium ferre non audeo, fortaſſe convertimini; at dicam, vos ſubire periculum ne convertamini, niſi hoc ſtatim facere incipiatis. *Idem.*

Habemus neceſſarias ad ſalutem operandā gratias.

Vos, qui me auditis, cæci peccatores, in vobis ſitum eſt, ſi omnes conatus veſtros exerere vultis, agnoſcetis in vobis ſitum eſſe ſalutem veſtram operari, ac Deum neceſſariam ad id vobis gratiam conferre; gratiam imbecillam, dicetis, non autem victricem; ſufficientem, non efficacem? Heu! apage inanes has diſtinctiones primis ignotas ſæculis. Cur ſtulte his detinemur ideis, ut noſtra tegamus ſcelera? Cur in ea re, quæ nobis timorem deberet incutere, quærimus, unde flagitia noſtra probemus? Optime dicebat Sanctus Paulus ad Roman. 9. ſalutem neque in manu eſſe volentis, neque currentis: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei;* verum dicebat etiam, Deum nequamquam gratiam ſuam iis denegare, qui operabantur. Chriſtiani omnes multo cum fervore operabantur, & ſi labebantur, peccata ſua propriæ tantum nequitiæ referebant accepta. Deus, Chriſtiani, ſemper juſtus eſt, ſemper miſericors; ſi igitur nos ad bene operandum invitat, per gratiam invitat. Omnes neceſſaria, ut ſalvi efficiamini, habetis ſubſidia; idne Sole clarius videre vultis? triplicem hanc veritatem apprehendite. Prima eſt, noſtræ ſalutis opus eſſe commune & Dei, & veſtri. Altera eſt; illud in veſtris eſſe manibus per opera veſtra bona. Tertia vero in ſubſidio Dei, quod numquam deeſt. Ne longius divinæ majeſtatis arcana ſcrutemini, ne vos illius opprimat gloria: hoc illud eſt, quod in prædeſtinatione tutum, ac certum eſt. Hic morari opus eſt. *Idem.*

Deus vere vult ſalutem noſtram, nos autem illam minime volumus.

Deus vult noſtram ſalutem, non autem interitum: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur, & vivat;* idem ipſe ait in Ezechiele. At vos ipſi vultiſne ſalutem veſtram? Nihil hoc magis ambiguum eſt: at dicetis, Dei voluntas pro ſalute noſtra longe incertior eſt. Heu peccatores! videte, quid fecerit Deus, ut vos ſalvos faceret, & quid ipſi faciatis. Video Deum vos in mundo poſuiſſe, ideoque opus ejus eſtis: abluit ipſe peccata veſtra in ſanguine ſuo; vos in lucem edi voluit hoc tempore ab idololatriæ ſceleribus remotiſſimo: Angelum adjecit lateri veſtro, qui toto vitæ veſtræ ſpatio vos tueretur: oculos vobis aperit, antequam in peccatum decidatis, ita ut numquam labamini, niſi antea ille vobis offendiculum oſtenderit. Denique pro vobis mortuus eſt; vos autem pro ſalute veſtra quid agitis? Heu! Non ſolum omnibus curis, atque beneficiis ejus non reſpondetis, ſed in antecefſum evertitis illa; ſalutem veſtram tamquam negotiorum veſtrorum noviſſimum reputatis, & dicitis, Deum nolle ſalutem veſtram. In jugi ſopore eſtis, atque omnimoda ſalutis veſtræ negligentia, & vultis, quod Deus unus vos ſalvos faciat. Petitis, ut veſtræ prædeſtinationi ſubſcribat, neque vultis, quod in nobis eſt, illi neceſſariam curam afferre. *Idem.*

De peccatorum præſumptione circa ſalutis, atque prædeſtinationis negotium.

Præſumptio hæc, quæ efficit, ut peccatores unice in Dei miſericordia confidant, quin aliquid ipſi conari velint, atque ſalutis ſuæ curam gerere: hæc inquam præſumptio ſuo laborat principio; & ratio patet. Etenim quocumque modo nos prædeſtinaverit Deus, de fide eſt, ipſum ſine cooperatione noſtra numquam nos ſalvos eſſe facturum. Si ergo verum eſt, ut ſalvus fiam, mihi cum Deo eſſe cooperandum, non ergo licet in Deo ita confidam, ut curam meæ ſalutis deferam, ut hanc in illum omnino rejiciam. Mihi jus eſt ſperandi in Deum; verum ſimul inevitabili neceſſitate cum Deo operari, cum Deo agere teneor, & ſi confidentiam hanc ab hoc opere ſeparo, meipſum perdo, & Dei ordinem inverto. Et profecto quinam eſt ordo Dei in humanæ ſalutis diſpoſitione? Hic eſt duplici verbo, quod millies vos audiviſſe puto a S. Auguſtino expreſſum: *Qui facit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Deus hic ſapiens, ac omnipotens, qui te ſine te ex nihilo eduxit, teipſum ſine te ſalvare noluit; & etiamſi ſalutem ea in extenſione acceperimus, quam illi præbet Theologia, hoc eſt quatenus præſupponit, vel complectitur converſionem noſtram, quodammodo in Dei poteſtate non eſt noſmet ſine nobis ſalvare: quare? quia, Sanctus Thomas ait, totum noſtræ converſionis myſterium conſiſtere debet in nobis, videlicet in voluntate noſtra, quam Dei gratia præparaverit, atque roboraverit. *P. Bourdalove tom. 1. Quadrageſimæ ſermone hujus argumenti.*

Fallax eorum ratiocinatio, qui dicunt, ſi prædeſtinatus ſum, nihil mihi metuendum eſt.

At enim, ſi prædeſtinatus ſum, nihil eſt, quod reformidem; ſin autem, omnes curæ, & ſollicitudines meæ ſalvare me minime poſſunt. Hæ fallaces illæ ſunt argumentationes, quibus ſæculorum omnium licentia ſeipſam confirmavit. Si ex prædeſtinatorum numero ſum, nihil eſt mihi trepidandum: quænam illatio? ego vero reſpondeo, tibi e contra eſſe inferendum; ſi prædeſtinatus ſum, hoc exigit, ut attentus ſim, atque jugiter mihimetipſi invigilem. Primo ſtatim intuitu propoſitio hæc paradoxum ſapere videbitur: attamen, o Chriſtiani, innititur non ſolidiſſimis ſolum, ſed ſimpliciſſimis, & maxime naturalibus rationis principiis. Si enim prædeſtinatus ſum, patet me non eſſe, neque eſſe poſſe, niſi per ea, quibus prædeſtinationem meam Deus adnectere voluit; vel ut rectius loquar, niſi per ea, quæ in mea prædeſtinatione continentur. Fides autem me docet inter hæc potiſſimum recenſeri curam ſalutis meæ, metum judicorum Dei, ſalutarem propriæ fragilitatis diffidentiam, exactamque diligentiam, quæ prohibeat, ne memet meis affectionibus tradam, atque in morum relaxationem decidam. Si nulla pro nobis eſt prædeſtinatio, certum eſt illam hæc omnia complecti. Quid igitur ago, cum ſalutem meam negligo hanc, qua abutor, prædeſtinationem prætexens? Admiramini, o Fideles, humani ſpiritus infirmitatem in omnibus iſtis. Quid ago? ego ipſe deſtruo fundamentum, ſuper quo ædifico, hoc eſt deſtruo prædeſtinationem meam, eodem tempore, quo illam ſuppono; & quare? quia ab eadem ſeparo, quod ſeparari non poteſt, & id, quod eidem eſſentialiter inhæret, & ſine quo in Dei mente ſubſiſtere nequit. *Idem.*

Eccleſia in poſtremo Concilio eorum notavit Hæreticorum ſententiam, qui ſub ſpecie exaltandi impenetrabilem prædeſtinationis myſterium, ſenſim inſpirabant ſecretum operum ſalutis contemptum. Hos profecto non decuiſſet juxta ſectæ ſuæ principia ethicum aliquod explicare de chriſtianæ pietatis officiis præceptum, poſtquam auditoribus ſuis tradidiſſent, Dei prædeſtinationem imponere homini abſolutam agendi neceſſitatem; omnes actiones noſtras, ſeu bonas, ſeu malas circa hoc verſari decretum, quod Deus ab æterno conſtituit; nobis huic decreto ſubjectis non licere amplius noſmet determinare ad bonum, neque avertere a malo; nos liberi arbitrii jacturam feciſſe, ideoque legis præcepta illis eſſe impoſſibilia, a quibus minime obſervantur. Hi doctores, inquam, poſtquam hujuſmodi jecerint fundamenta, nequaquam concionari, ac dicere potuiſſent pœnitentiam prædicantes: omnes conatus veſtros exerite, fratres, infringite vincula veſtra, excutite eam ſervitutem, in qua detinemini, egredimini ex occaſione, peccatum veſtrum relinquite. Sed quomodonam id intelligis, reddere illis potuiſſet peccator? Si peccatum meum in immutabili hoc divinorum decretorum ordine ſtatutum eſt, quomodonam illi abrenunciare poſſum; & quomodo e contra eidem abrenunciare non poſſum, ſi decreta eſt ſalus mea? Si prædeſtinatus non ſum: quomodo poſſum converti; ſin e contra, quomodo poſſum non converti? Cur ergo me ita urges, quandoquidem juxta ſententiam tuam alterutrum neceſſario mihi faciendum eſt? Dicis, Deum unum eſſe, qui me ad bonum operandum determinat? cur ergo omnem tuum exeris zelum, ut me impellas, nihilque perſuadeas? Nonne tali reſponſo obduratiſſimus quiſque ſuam excuſare potuiſſet impœnitentiam contra aſſertæ hujus reformationis ſeveriſſima dogmata? *Idem.*

Circa noſtræ prædeſtinationis negotium ita in Deo confidendum eſt, ut ſemper divinis de nobis conſiliis reſpondere valeamus.

Noſtiſne, Fideles, quomodonam Deus noſtram temerariam de præſcientia, & prædeſtinatione confidentiam confundet? Hoc ille faciet per noſmetipſos, per ſenſus noſtros, & non ſecus ac olim in Evangelico ſervo, per noſtram confeſſionem: *Ex ore tuo.* Aliis enim in negotiis, licet nobis perſuaſum ſit de divina providentia, ac prædeſtinatione, nihil ipſi negligimus; atque nimis etiam nobiſmet conſulimus, atque cavemus. Agiturne de ea re, ex qua noſtra pendet fortuna, vel honor? Quamvis ſciamus prævidiſſe Deum, quid futurum ſit, atque eventus ſit jam in ordine prædeſtinationis equidem notatus, afferimus tamen omnes curas noſtras, omnem exiſtimationem noſtram impendimus, caſus omnes prævertimus, atque obices amovemus, atque zelum, & induſtriam noſtram in hoc collocatam ſapientiam, virtutemque putamus. Scit Deus, dicimus, quid eventurum ſit; vult tamen me omnem operam collocare, ut omnia e voto contingant: neque enim tenetur pro me operari miracula, atque ipſa ejuſdem prædeſtinatio exigit, ut iis adminiculis utar, quæ mihi offert, ut ad propoſitum mihi finem perveniam. Ita ratiocinamur, nec male. In ſolo noſtræ ſalutis negotio aliter ſentimus; in hoc Deum omnia operari volumus? in hoc ſecuri in illius providentia confidimus, cum interim tranquilli; inerteſque manemus... Terrenis negotiis navamus operam, perinde ac nulla eſſet providentia, nulla prædeſtinatio, & omnia in noſtra eſſent poteſtate: ſalutis vero negotium ita pertractamus, quaſi ad nos nequaquam pertineret, ac a Deo tantum penderet. Moderemur utrumque, alterius exceſſum impendamus, ut alterius ſuppleamus defectui: hoc eſt, terrenis operam demus negotiis aliquantulum plus permittentes providentiæ, cui in ſalutis negotio nimium deferimus, & in ſalutis negotium transferamus aliquantulum ejus curæ, & ſollicitudinis, qua terrenis rebus vacamus. Mundi curis majori cum confidentia in Deo, ac majori cum ſubmiſſione erga præcepta Dei vacemus, confitentes ſine illo omnes curas inutiles eſſe; ſalutis vero negotio vacemus, attentius nobiſmetipſis invigilantes, magis de nobiſmet diffidentes, majori pro nobiſmetipſis zelo ſuccenſi, & fatentes Deum ſine nobis nolle magnum noſtræ ſanctificationis opus implere. *Idem.*

De prædeſtinationis myſterio ea tantum tenenda ſunt, quæ revelare nobis placuit Deo.

Ne altius ſcrutari velimus impenetrabiles gratiæ quæſtiones, atque tenebricoſum prædeſtinationis myſterium, ſed iis acquieſcamus, quæ nobis revelare Deo placuit. Hoc myſterium eſt, quod hæreſibus locum præbuit; nobis illud ſit fidei myſterium. Hoc myſterium eſt, in quo plures facile in errores impegerunt. Eccleſiæ deciſionibus adhæreamus: myſterium eſt, quo flagitioſi homines abuſi ſunt, ut in flagitiis ſuis perſiſterent, eodem utamur, ut noſmet ad bonorum operum praxim excitemus. Immo procedamus etiam ſi opus eſt, & ut antiquus ille Solitarius, dicamus: ſi reprobus ſum, ſaltem in hac vita Deum glorificabo. *Idem.*

Nimis curioſa perquiſitio myſterii prædeſtinationis Deo eſt contumelioſa.

Curioſius perquirere; utrum nos elegerit Deus ut ſimus vaſa iræ, an miſericordiæ; utrum nomen noſtrum in vitæ libro deſcripſerit, an illud oblivioni tradiderit; utrum nos de reprobationis maſſa eduxerit, an in illa reliquerit; utrum prævideri nos aliquando ſalvos, vel damnatos futuros eſſe: omnes hæ curioſæ, inutileſque perquiſitiones procedere non poſſunt, niſi ex diffidentia divinæ bonitatis, & ex dubitatione, in qua verſamur, utrum pro nobis bona, & favorabilia conſilia conceperit; quod nonniſi contumelioſiſſimum eſſe poteſt Deo, quoniam prima cogitatio, & illa, quam cupit altius in mentibus, cordibuſque noſtris imprimere, eſt ſuæ videlicet erga nos bonitatis, atque dilectionis: *Sentite de Domino in bonitate.* Sap. 1. Idcirco patris nomine vult appellari, ſed patris tali modo, ut reliqui patres non ita ſint patres, ut ille: *Tam Pater nemo,* ut inquit Tertullianus. Quid ille non dixit, quid operatus non eſt, ut doceret ſe pro nobis habere viſcera miſericordiæ, ſuaque ſtudia, curaſque pro hominibus toto cœlo amantiſſimarum matrum amorem infinite ſuperare? *Numquid oblivisci poteſt mater infantem ſuum? & ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui.* Iſai. 49. Quot validis, atque perſuadendum aptiſſimis argumentis tam probavit veritatem, quam per Sanctum Paulum prædicari voluit; ſe videlicet velle, omnes homines ſalvos fieri: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* 1. ad Timoth. 2. & per S. Petrum: ſe videlicet nolle, quemquam interim, ſed univerſos ad ipſum per pœnitentiam reverti: *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 2. Petr. 3. Mihi injuriam inferes, ait ille apud Ezechielem, ſi putas me impii mortem optare; opto illum vivere, & converti: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertantur, & vivat?* Exech. 18. Poſt hæc teſtimonia, & has paternæ charitatis proteſtationes ambigere adhuc, utrum hic amabilis Pater nos dilexerit; curioſius inquirere, utrum nobis vitam conferens nos ad extremum finem noſtrum adducere voluerit, nobiſque neceſſaria præparaverit ad hunc finem ſubſidia, næ hoc eſt illius bonitati contumeliam inferre. *P. Texier, ſermone pro feria 5. hebdomadæ quintæ in Quadrageſima.*

De ea difficultate, qua nonnulli libertaté noſtrā cū Dei præſcientia conciliant.

Haud ita facile eſſe inquis, hominis libertatem cum Dei præſcientia, & virtutem gratiæ cum libero arbitrio conciliare. Vah! cur hoc tibi negotium faceſſere vis? Tuum non eſt hæc ſimul conciliare, ſed Dei; hoc hujus intereſt: non tua. Qui duplicem naturam toto cœlo diſtantem, divinam; humanamque in una, eademque perſona conjunxit mirabili conſenſu Sanctus Leo inquit, majeſtatem cum humiliare, virtutem cum infirmitate, immortalitatem ſuam cum noſtra mortali conditione conjungens; quin naturæ divinæ gloria, & omnipotentia opprimeret, vel deſtrueret naturam humanam, & quin alterius humilitas alterius officeret dignitati, Deus idem ſatis habet ſapientiæ, ac potentiæ, ut eam efficiat conjunctionem, quam concipere nequis.... Nihil certius, quam ſumma Dei poteſtas: nihil etiam inter creata ſanctius, quam humana libertas, quam nil creatum cogere poteſt, & quæ jus etiam habet Deo reſiſtendi. Novit tamen Deus, quomodo duo iſta conciliet, neque tuum eſt, hæc velle intelligere. Cur igitur hoc tibi crucem figere ſinis? Cur temet iis implicas rebus, quas minime concipis? Sufficiat tibi ſcire, Deo infinitam eſſe ſapientiam, ac noſſe illum æterna conſilia ſua cum iis conciliare, quæ tu capis gratiæ illius cooperando. *Idem.*

Licet ignoremus, utrum prædeſtinati ſimus, tamen in Dei bonitate confidere debemus.

Si prædeſtinatus ſum, aliquis ait, quodcumque faciam, ſalus mea in tuto eſt; ſi contra, quidquid faciam, inutiles erunt omnes conatus mei. Inſana argumentatio; periculoſus dæmonis laqueus, qui plurimos in damnationem, ac flagitioſum vivendi impulit genus. Undenam hoc pacto tunc ſolum argumentamini, cum de veſtra agitur ſalute? Numquid ita ratiocinamini, cum de fortunis veſtris, corporiſque valetudine ſermo eſt? Dicitis: ſi decrevit Deus me proſpera fortuna frui, me opibus abundare, me ad dignitatum apicem evehi, cur operam impendo, ut meæ fortunæ, nomini, dignitati conſulam? Qui ita loqueretur, hic profecto de ſanæ mentis uſu dejectus videretur; num vos ſapientiores eſtis, cum de ſalutis veſtræ negotio ita loquamini? Homo hic, dicitis, ſubſiſtere poterit, opibus augeri, honores adipiſci, ſi operam navaverit, ſi nihil reliquum fecerit, quominus votorum ſuorum ſummam conſequatur; cur autem non ſimili modo de veſtra ſalute loquimini? Quænam hujus rei eſſe cauſa poteſt? vel quod diſcrimen?... Cavete quam diligentiſſime, ne hiſce periculoſis, ac inutilibus de prædeſtinatione quæſtionibus implicemini. *P. Nepveu tomo 3. conſiderationum ſuarum.*

Quidquid Sanctos terret; & in mundo gignere poteſt deſperationem ad unam hanc maximi momenti quæſtionem redigitur, nonniſi in altera vita elucidandam: utrum videlicet ſimus ex numero prædeſtinatorum: quænam ſit divina erga nos voluntatis diſpoſitio, & quid ab æterno de noſtra ſalute decrevit. Nihil ſane ſingillatim ſtatuere poſſumus de cujuslibet Chriſtiani prædeſtinatione, ſeu quod hoc divina celat providentia, ſeu quod ne ipſi quidem certi eſſe poſſunt de liberi arbitrii ſui conſiliis, quæ in hac re & ipſa ſpectanda ſunt. Sed docet Scriptura hoc ſpei noſtræ generale principium a nobis eſſe conſtituendum, Deum ſincere velle omnes homines ſalvos facere, atque per eum non ſtaturum, quominus ad ejus gloriæ, pro qua illos creavit, poſſeſſionem perveniant. Fateor equidem S. Bernardus ait, ſi id tantum ſpectemus, quod in natura ſumus, vel quod facti ſumus per ſcelus, ægre nobiſmet perſuadere poſſe, Deum erga nos adeo propitios ſenſus fovere; ſed altius cor ejus ſcrutemur, eas inveſtigemus rationes, propter quas operatus eſt, ibique felici-

tatis noſtræ principia inveniemus. *Biroat in Adventu ſermone 7.*

De timore utrum Deus finalem nobis concedit perſeverantiam, quæ prædeſtinationi noſtræ cumulū addit.

Equidem ſcio finalem gratiam eſſe privilegium, quod Deus reipſa nonniſi prædeſtinatis concedit, ſed æque verum eſt, ipſum fidelibus omnibus offerre gratias, & ſubſidia ad perſeverantiam hanc obtinendam. S. Auguſtinus de dono perſeverant. ait, hanc a Deo quoque humiliter, & enixe flagitandam eſſe: *Quiſque dum neſcit, an in bono perſeveraturus ſit, humiliter, & ſollicite Dei gratiam imploret, cum eaque caſum cavere, & in gratia perſeverare ſatagat.* Et S. Chryſoſtomus addit, nos maximum hoc promereri poſſe beneficium per fidem, ac vigilantiam; & Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 3. præclaram inde hanc eruit illationem. Nemo aliquid ſibi certum circa perſeverantiam promittat, quamvis Chriſtiani omnes ſpem ſuam in Dei gratia, & protectione conſtituant, quam Jeſus Chriſtus nobis promeruit; & cujus effectum certiſſime conſequemur, niſi ipſi criminibus noſtris obicem conſtituerimus. *Idem.*

Signa, utrum ex numero prædeſtinatorum ſimus.

Scio, dicet aliquis prædeſtinationem effectum eſſe miſericordiæ Dei: ſcio hunc gratias ſuas, quomodo eidem placet, conferre, & eos, quos a corrupta ſeperat maſſa, hoc unum bonitati illius acceptum referre oportere. Verum agone ex horum numero ſum? An adhuc in hac funeſta maſſa verſor? Ut huic aliqua dubitationi lux afferatur, notanda ſunt ea, quæ docet S. Auguſtinus; duo videlicet eſſe, quæ ipſi facere non poſſumus. Deus nos ante mundi creationem prædeſtinavit: *Elegit nos ante mundi conſtitutionem*, ad Epheſ. cap. 1. poſt ſæcula vero nos glorificat. Hæc duo extra mundum fiunt, & ignorantur a nobis, & alia duo fiunt in mundo, & illa ſcire debemus. *Vocat nos de mundo, juſtificat nos in mundo.* Si ergo aliquo modo ſcire vultis, utrum Deus vobiſcum magna hac uſus fuerit miſericordia vos prædeſtinandi, videte, utrum ſeparati ſitis a mundo, & utrum in mundo pœnitentiam agatis. Si mundo inhæretis, ſi pœnitentia ſincera nequaquam juſtificationis gratiam meremini, metuendum vobis eſt, ne ex beato electorum numero ſitis. In vobis ſitum eſt iis uti ſubſidiis, quæ vobis præbuit Deus, ut ſalvaremini. Si in vobis poſitum eſſet in hoc mundo vos beatos efficere, jam eſſetis beati; in vobis poſitum eſt beatos eſſe in æternitate, & eſſe non vultis? *Ex Specimine ſermonum pro feria quarta hebdomadæ Paſſionis.*

In vita noſtra gerere debemus quaſi non prævidiſſet Deus, quid in æternitate futuri ſumus.

Supponamus nihil decreviſſe Deum de hominum ſalute, niſi poſt mortem illorum. Hoc poſito conſtat debere quemlibet ſerio de ſe cogitare, quin dicat, nihil accidet, niſi quod Deus prævidit, ac determinavit, quoniam *per adinaton* ſupponimus nihil ab eo præviſum, vel determinatum fuiſſe. Quod nobis tunc id ſupponentibus faciendum eſſet, nunc etiam faciendum eſt; omnia enim nobis eodem accident pacto, quaſi neque præviſa, neque determinata fuiſſent. Æque liberi ſumus, ac eſſemus, niſi Deus actiones noſtras cognoſceret, atque ſalutem in manibus noſtris habemus, quaſi Deus nihil determinaſſet de nobis, ut docet fides. Debemus igitur operari eodem pacto, quo tunc operaremur, eademque capere conſilia. *Pater Lucen. ſerm. pro fer. 4. poſt 5. Quadrag. Dominicam.*

Utrum Deus me prædeſtinaverit, an ſecus, quid ad me, ſi omnia accidant perinde? Prædeſtinatio illius non eſt cauſa, quæ mihi afferat neceſſitatem, neque ullum patitur detrimentum libertas mea; quandoquidem æque integrum mihi eſt me ſalvare, vel perdere, ac ſi neque prædeſtinatus eſſem, neque reprobatus. Dei immutabilia ſunt decreta, non abnuo; falli nequit ejus præſcientia, nihilque accidit, niſi quod ille decrevit, atque prævidit. Verum de hoc vobis cogitandum non eſt, neque huic rei immorandum. Certi eſtote nihil niſi ex voluntate veſtra eventurum ex iis, quæ ad ſalutem veſtram pertinet, vel interitum. Ad ea incumbite, quæ in vobis ſita ſunt; & ea, quæ ſecus, relinquite... In mundi hujus negotiis ſæpe animadverti hominibus terrena hæc negotia procurantibus nequaquam negotium faceſſere, quod ſcit Deus, quid illi facturi ſint, & quid illis ſit eventurum; ſed quiſque id capit conſilii, quod in rem aptius exiſtimat, ut quod cupiunt, conſequantur, quin Dei præviſio illos moretur. Agricola numquam dicit, novit Deus, utrum hoc anno fertilis futura ſit meſſis, an ſecus; ſed quin ſit de hac ſcientia ſollicitus, arat, ſerit, occat, omneſque muneris ſui partes adimplet. Mercator non ait: prævidit Deus utrum ditior evadam, an ſecus; cur neceſſe eſt memet itinerum, miriſque tot obire pericula? Nemo eorum, qui ad aliquam in republica dignitatem anhelant, Dei conſulit cognitionem: iis utitur artibus, quas aptiores putat, ut voti reus fiat, idque in omnibus mundi negotiis fieri conſuevit.... Si quis ægrotanti diceret, ne pharmacum haurias, ſcit enim Deus, utrum ex hoc morbo periturus ſis, an ſecus; neque eveniet, niſi quod ille novit eventurum; creditiſne, hanc illi rationem ſatis futuram, niſi mente potius, quam corpore ægrotaret? *Idem.*

De prædeſtinatione eodē pacto loquendum eſt, ac de præſcientiā Dei invitæ ratione.

Quod mortales omnes ſatis de præſcientiam Dei ſciunt, nullam illius habendam eſſe rationem in noſtris negotiis, nequaquam minus verum eſt, cum ſermo eſt de prædeſtinatione: quia nulla unquam habetur ratio eorum, quæ decrevit Deus de eventibus, qui a noſtris operibus pendent. Sed quilibet ita res omnes metitur, ut facile ad optatum finem perveniat, & ut votorum ſuorum ſummam conſequatur: atque viri boni nihil ultra faciunt, niſi quod ſeſe divinæ voluntati conformant, cum exitus fallit curas eorum. Eodem pacto agendum in iis, quæ ad noſtram pertinent ſalutem; hoc eſt negligendum eſt, utrum nos prædeſtinaverit Deus, hoc eſt, utrum ex electorum numero ſimus, an ſecus: ſed adnitendum ita vitam inſtituere, ut mereamur beatitudinem, quam promiſit Deus illis, qui leges ipſius obſervabunt, certi hanc illius eſſe voluntatem, quod ſaluti noſtræ ſedulam navemus operam: & hoc in ſenſu voluntatem noſtram cum ipſius voluntate conformare debemus, quæ eſt, ut cum ipſo cooperemur ea in re, quam ſine ipſo facere non poſſumus, & quam ille ſine nobis numquam operabitur. *Idem ex parte.*

Nobis perſuaſum eſt ſi reprobavimur, nonniſi culpa noſtrā reprobatum iri.

Æternum Dei decretum de eo, quod futurus ſum, hac in vita penetrandum non eſt: illud vero certiſſimum eſt, ſi ex reproborum numero fuero, hoc ideo futurum, quod gratiis Dei reſpondere noluero: hic enim Deus infinite juſtus, atque miſericors nequit me æterno, nullumque habituro finem damnare, ſupplicio, niſi illud meritus fuerim. De hoc in fide dubitari non poteſt. Hoc autem ſatis eſt, ne perturbetur ſpiritus meus, & ne alia ſalutis meæ cura ſollicitet, niſi fidelitatis erga eam gratiam, a qua pendet. Hoc neceſſario mihi ſciendum eſt in hoc argumento. Quæcumque aliæ cognitiones, quas optare poſſem, mihi vel inutiles eſſent, vel periculoſæ. Etenim ad examen revocare modum, quod Deus alios quidem reprobavit, atque prædeſtinavit alios; cur non eaſdem omnibus contulerit gratias; undenam alii damnentur cum iiſdem, & fortaſſe validioribus gratiis, cum quibus alii ſalvantur; hæ quæſtiones ſunt, de quibus cum ne verbum quidem protulerit Deus in ſacris Scripturis, eas a nobis ignorari voluit ob cauſas divinæ ſuæ ſapientiæ compertas. *Ex ſpecimine ſermonum pro Dominica 19. poſt Pentecoſten.*

Id, quod in Dei providentia minime concipio, probandum mihi eſt per ea, quæ in eadem concipio. Mihi perſuadere debeo, ſi in ea quid occurrat, quod juſtitiæ contrarium videatur, hoc proficiſci nequaquam poſſe ex imperfectione aliqua, quæ ſit in Deo, ſed ex ea, quæ eſt in mente mei, quæ exiguis finibus continetur. Inde vero timor, atque diffidentia noſtra proficiſcitur, quod in illis immoramur, quæ in hoc prædeſtinationis myſterio nequaquam intelligimus, quin animum advertamus ac ea, quæ Deus nobis manifeſtavit, & cujus revelatio ſufficit, ut inde ſolatium percipiamus. Si Dei mentem, atque Eccleſiæ intentionem inſpiceremus, næ alteram ex altera corrigeremus, iis, quæ cognoſcimus, ad confidentiam noſtram fovendam, & iis, quæ non cognoſcimus, ad fidem exercendam uteremur. Sed prorſus oppoſita ratione plures eouſque progrediuntur, ut credant, Deo non fuiſſe voluntatem nos ſalvos faciendi; atque id cogitantes ſeſe ſuis cupiditatibus abdunt, quaſi de ſalute illorum actum eſſet omnino. Teneamus igitur magnum hoc fidei principium, ſi gratiæ Dei fideles fuerimus, nos certiſſime ex prædeſtinatorum numero futuros, atque in nobis eſſe poſitum fideles eſſe gratiæ, quæ nobis numquam deeſt. Secretas vias, quas in ſalutis noſtræ œconomia Deus ſequitur, neſcio; hoc autem ſcio ſortem meam eſſe in manu Dei, qui miſericordiæ, atque juſtitiæ plenus eſt, atque omnia opera bona, quæ fecero, depoſitum eſſe, quod illi committo, & cujus ſcio illum ſedulam fideliter eſſe rationem redditurum. *Scio cui credidi, &c. Idem.*

Opus eſt, quod metus judiciorum Dei nos cultui ejuſdem fideles efficiat.

Fidelium plerique in officio continentur, Sanctus Auguſtinus ait, & poſt ipſum S. Proſper; mirabilem hoc Dei de hominibus judicium, quod alios vocat, rejicit alios; illos complectitur, hos deſerit; ſejungens illos, quos vult ſalvos facere, ut ſuis adjuti viribus, & gratiis certiſſime, quamvis libere, ſalvi fiant, & in corruptionis maſſa relinquens eos, qui per deſideriorum ſuorum improbitatem, & cordis nequitiam illic cupiunt permanere. Hoc prædeſtinationis, & reprobationis myſterium eos terret; conſideratio Dei hinc quidem miſericordis, inde vero juſti, atque ſeveri illos ſub potenti manu ejus humiliat. Gratiam impertit, cui vult, & miſeretur eorum, quorum vult miſereri. Inde vero quid accidit? Hoc nempe quod ſemper nobis trepidandum, ſemperque metuendum eſt; atque ſumma officii, fide cultui illius inhærendum. *Ex ſermone de Samaritana, cui P. Ruao acceptus refertur.*

Dæmon æquius ratiocinatur ac nos in prædeſtinationis noſtræ negotio.

Si prædeſtinatus ſum, nequicquam laboribus exerceor, inquiunt impii; Dei voluntas explebitur; ſin ſecus, oleum, operamque perdo ad cœli gloriam mihi comparandam contendens. Licet Scriptura, atque Patres nullum nobis hac in re ſolatium reliquiſſent; licet Salvator, ut animos faceret nobis, & fidem, & ſanguinem ſuum non impendiſſet, dæmonis tantum mihi ſatis eſſet exemplum, ut prorſus oppoſita arguerem. Videte quo me redigatis; huc denique, ubi dæmonis utar prudentia, ut vitæ veſtræ rationem corrigam, & velim ſenſus veſtros juxta ſenſus illius conformari. Numquid ille, uti vos, argumentatur? num ait ille, ſi homo hic prædeſtinatus eſt, nequicquam illi ſtruo inſidias, numquam illum ex Dei manibus eruam: ſin autem reprobatus eſt, inutiles erunt omnes conatus mei, ille ex manibus meis non effugiet. Quibus immo non utitur dolis, atque verſutiis, ut juſtum impellat in ſcelus? quam negligit occaſionem, ut peccatorem altius in ipſius immergat ſceleribus? Agnoſcite, Tertullianus ait, dæmonis ingenium, ac tantum curæ impendite ſalutem veſtram operaturi, quantum ille, ut veſtræ cumulum addat reprobationi. *Ex ſermonibus moralibus.*

De aliquarū animarum prædeſtinatione.

Nequaquam licet nobis curioſius inveſtigare rationes, propter quas prævenit Deus amore ſingulari electas animas quaſdam, quas ille ad magna propter amorem ſuum agenda, ſuſtenendaque deſtinat, ſeu quod latent in ſecretis ſapientiæ conſiliis, & in inviis providentiæ myſteriis; ſeu quod cum ipſe cordis ſui ſit Dominus, ſibi facultatem reſervat illud, quocumque ſibi placuerit, vertendi, atque large, effuſeque ſuas conferendis gratias, ubi voluerit; quin aliam nobis permiſſionem relinquat, quam magnitudinem miſerationum ſuarum cum reverentia adorandi. Nobis tamen aperit aliquando cauſas, propter quas alios aliis prætulit, quia illos invenit idoneos, &c. *Idem.*

Signa, ex quibus cognoſcimus utrum ſimus prædeſtinati.

Certum eſt, res eaſdem, quæ in temporali divinorum decretorum executione occurrent, ab æterno præparatas fuiſſe in viſione, ac mente Dei, quemadmodum videmus omnia lineamenta, quæ in imagine quadam videntur, inveniri in typo, ex quo imago educta eſt. Æternæ autem prædeſtinationis executio nobis indigitatur per divinorum mandatorum obſervantiam, bonorumque operum neceſſitatem, ideoque in ea incertitudine, utrum prædeſtinati ſitis, an ſecus, id certo cognoſcere quodammodo poteſtis veſtram vivendi rationem intuiti. Videte utrum prædeſtinati vitam ducatis. Vivite bene: *Serva mandata*, quemadmodum olim Dei filius dicebat. Hoc ſatis eſt, nihilque vobis ſciendum eſt de veſtra prædeſtinatione, quandoquidem certum eſt nolle Deum glorificare, niſi qui ſancte vixerint, neque coronare, niſi qui ſtrenue certaverit. *Auctor Anonymus.*

Senſibile argumentum, quo exiguus electorū numerus probatur.

Supponamus, Fideles, hanc omnibus extremam eſſe horam, præteriiſſe tempus, atque incipere æternitatem, Dei filium jamjam prodire noſtrum ſingulos ſecundum cujuslibet opera judicaturum, ac nos omnes hic eſſe ab illo vel gratiæ, vel mortis ſententiam expectantes. A vobis quæro & ipſe graviſſimo timore perculſus, ſortem meam a veſtra nequaquam ſejungens, meque conſtituens eodem in ſitu, in quo omnes aliquando prodituri ſumus coram Deo judice noſtro, & in quo oro vos, ut ad breve momentum voſmet modo conſtituatis: quæro inquam, ſi modo Dei filius prodiret, terribili judicio juſtos a peccatoribus ſeparaturus, creditiſne, majorem numerum ſalvum fore? Creditiſne, juſtorum numerum ſaltem numero peccatorum fore parem? Creditiſne, ſi in præſentiarum excuterentur opera eorum, qui hac in concione frequentes adſunt; inter nos decem tantummodo juſtos inventum iri? A vobis hoc quæro? Vos id ignoratis, & ego quoque ignoro: ubinam cæteri eſſent? Dicam amplius plurimi ſunt peccatores, qui nolunt converti; plurimi, qui volunt, nec convertuntur; alii, qui convertuntur, ut relabantur, vel demum, qui fallaci temeritate ſe converſione nequaquam indigere arbitrantur. Incipite primum quatuor hæc peccatorum genera ſemovendo; neque enim ex electorum erunt numero, quia nemo eorum eſt in gratia. Ubi igitur nunc eſtis juſti in oculis Jeſu Chriſti? In medium prodite, & voſmet a peccatoribus ſeparate: triticum recede a palea; quid poſt hæc remanebit? Eheu! interitus noſter jam fere certus eſt, nec advertimus animum! Sumus in via perditionis, neque inde egredi adnitimur! *P. Maſſillon tomo 3. ſermone de exiguo electorum numero.*

Licet nos unus tantum adeſſet reprobus nobis eſſet trepidandum.

Quamvis etiam ex omnibus nobis unus tantum reprobus eſſe deberet, idque cœlo demiſſa vos nobis nunciaret, quin ſingillatim indigitaret, illum, quis ex nobis non contremiſceret? Nonne noſtrum ſinguli de ſe dicerent, ut olim Diſcipuli; numquid ergo Domine hic reprobus ſum? Quænam eſt ſors mea, quod fatum meum? Egone ſuo ex electorum tuorum numero, an ex numero reproborum? traduces me ne ad dexteram tuam cum benedictis Patris tui; an cum maledictis me in infernum projicies? Hæc quilibet ſecum. Si ergo nequaquam noſmet in eum adducimus ſtatum, ubi a capite noſtro lacrymis, pœnitentia, ac fidelitate tantum propulſare valeamus infortunium, numquid ſapientes ſumus? Fortaſſe inter nos decem tantum ſunt juſti: quid ſcio? fortaſſe ne unus quidem eſt: etenim, o Deus, ſine terrore non audeo oculos convertere in abyſſum juſtitiæ tuæ, & iniquitatum noſtrarum multitudinem: fortaſſe, inquam, ex nobis omnibus unus dumtaxat ſalvabitur, & putas te hunc fore? fallaci hac ſuffultus confidentia quieſcis, tu, cui fortaſſe magis metuendum eſt, quam alteri cuipiam, tu, cui trepidandum eſſet, licet infelix hæc ſors in unius tantum reprobi caput eſſet lapſura! *Idem.*

Quanta adſit metuendi ratio, & quam parum timeatur, ut ex reproborum numero ſimus.

O Deus! quam parum cognoſcimus periculum, cui ſumus obnoxii, ubi non omnia conamur illinc evaſuri! Quid! infelix peccator non trepidat eam ob rem, propter quam juſtiſſimus quiſque præ terrore contabuit? Ob unam hanc æterni fati cogitationem viſi ſunt ſancti pœnitentes pectus ſuum tundere, turbari, ſeſe cineribus adſpergere, atque cilicio arctus contegere, & vix os aperire ad fratres interrogandos: creditiſne Dominum ſua mecum uſurum eſſe miſericordia? Viſi ſunt jamjam ſub iteratis auſteritatibus animam efflare, niſi miſericordia tua, Domine, cordis eorum perterriti ventis imperaſſet, ita ut tranquillitas fieret. Hoc tot ſancti viri fecerunt: mundus vero fere totus poſt tot crimina, tot lapſus, atque relapſus ſecurus eſt; peccatores jamjam ferme a cœleſti patria prohibiti, qua ſe præbuerunt indignos, de fato ſuo ne minimum quidem ſunt ſolliciti. Quidquid præcipitur miniſtris, qui illis adſiſtunt, hoc eſt, ne illos perterrefaciant, ne illis de terribilibus veritatibus loquantur, neque illis opem ferant, ut ſe ipſos ſeducant, atque in fallaci pravæ conſcientiæ ſuæ pace ſibi noxiam tranquillitatem concilient.

Fruſtra in Salvatoris morte ac paſſione confidimus niſi noſtræ ſaluti cooperemur.

Verum eſt Dei filium in cruce morientem ſeſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium, atque pro mortalium omnium ſalute ſanguinem ſuum effudiſſe: *Pro nobis mortuus eſt Chriſtus.* Sed nihilominus verum eſt, quamquam tanta illius extiterit miſericordia, non omnes homines ſalvos fore: quippe infinita hujus ſanguinis, mortiſque merita non omnibus applicabuntur, neque ea ſibi quilibet applicabit. Juda miſer! Quid tibi profuit, quod filius Dei, qui tot benevolentiæ ſuæ tibi argumenta tradiderat, in cruce efflaverit animam? Crudeles Judæi! Phariſæi abominabiles, quid vobis profuit, quod Deus hic, qui apud vos tot miracula ediderat, qui tot ægros curaverat, qui tot gratias effuderat, in Calvario ſpiritum fuderit: quandoquidem ex tot guttis ſanguinis, quæ fuerant effuſæ, ne una quidem peccata veſtra delevit? Latro infelix, qui ad latus Dei morientis obiiſti, quid tibi profuit illum intueri in agone poſitum, quid audire illum Patri ſuo vota nuncupantem, ut parceret inimicis ipſius, quandoquidem orationis hujus fructus tibi applicatus non fuit? *Joly propoſitione de Jubilæo.*

Præcipua ratio exigui electorum numeri.

Pauci ſalvantur, o Fratres; in mundo enim nonniſi duo hominum genera concipi poſſunt, vel eorum, qui ita felices fuere, ut innocentiam ſuam puram, integramque ſervarent, vel eorum, qui eam ſemel amiſſam in pœnitentiæ ſacramento recuperarunt. Prima exigui electorum numeri cauſa. Duplex hæc tantum ſalutis via patet, idque nonniſi vel innocentibus, vel pœnitentibus. Ut jure ad cœli regnum adſpires, vel innocens eſſe debes, vel pœnitens: nihil coinquinatum ingredietur illuc, Jeſus Chriſtus inquit, eoque vel conſervata puritas, vel puritas reparata afferenda eſt: quotus autem quiſque duplicem hanc ſequitur viam? Mori ab omni labe purum, privilegium eſt, ad quod paucis adſpirare licet: vivere pœnitentem gratia eſt, quam pauci obtinent; nihil enim in mundo veris pœnitentibus infrequentius eſt. *P. Maſſillon ſermone pro feria ſexta hebdomadæ Paſſionis.*

Prædeſtinationis effectum.

Conſummatæ prædeſtinationis effectus ea ſunt omnia, quæ efficaciter ad ſalutem adducunt: cumque Deus ſit auctor prædeſtinationis, illa tribuit, atque ad hunc finem immittit. In hoc ordine omnes conſtitui poſ-

poſſunt vitæ hujus eventus, quos ipſi ſæpe fortunæ acceptos referimus, bona ſeu naturalia, ſeu ſupernaturalia, proſperam, adverſamque fortunam, bonos, maloſque noſtrorum conſiliorum, & negotiorum exitus, & quidquid alicujus eſſe poteſt opis, ut ad æternam beatitudinem perveniamus. Cumque res omnes mundi hujus aliquid huic conferre poſſint conſilio, omnes corporis, animæque qualitates, actiones, & officia omnia, omnes, quæ ſeſe offerunt, occaſiones, & quæ a providentia ad finem hunc ſunt ordinatæ, totidem ſunt effecta prædeſtinationis, & curæ, quam illa gerit, ut electorum ſuorum ſaluti proſpiciat. Attamen dici nequit, in hoc numero peccata noſtra recenſeri, neque enim poteſt Deus illa ad finem adeo præſtantem traducere: quamquam homines aliquando ex ipſis criminibus bonum, atque utilitatem hauriant, puta occaſionem agendi pœnitentiam, vel ardentius diligendi Deum; etenim ſuppoſito peccato Deus ſecunda intentione, ejuſque ordinem ſubvertendo, inde elicit argumentum vel pœnitentiæ; vel ardentioris charitatis. Sed cætera juxta directionem hanc fiunt beneficia, quibus Deus ſuaviter, & jucunde homines ad ſalutem adducit. *Pater Delingendes ſermone hujus argumenti.*

Confidentia in bonitate Dei circa noſtræ prædeſtinationis negotium.

Quodcumque fecerim, vel facturus ſim, ſcio tandem Dominum eorum, quorum voluerit, miſereri: *Cujus vult miſeretur.* Hoc verum eſt; ſed voluntas ejus non eſt cœca voluntas, vult ſemper, quod æquius eſt, nempe merito, pietatique favere. Deus in gratiarum ſuarum diſtributione omnino liber eſt: ſed hoc fidelibus ejus tanto melius eſt; nec deerit, quominus liberaliter illis ſua conferat dona. Quamvis bonus pater non teneatur filios hæredes ſcribere, numquid ideo metuendum eſt, ut illos privet, alios ſibi quæſiturus hæredes? Non poſſum finalem perſeverantiam mereri, illam tamen petere poſſum, ac Dei filius ſeſe ſacramento adegit, hanc precibus noſtris nequaquam ſe negaturum. *Pater de la Colombiere ſermone* 56. *de prædeſtinatione.*

Poſt ea, quæ pro nobis Domine & duxiſti, & feciſti, quo jure tu, o modicæ fidei homo, diffidis? *Quid ultra potui facere vineæ, & non feci*? Reſponde Deo tuo anima timida ſimul, & ingrata? Quæ validiora cupere potuiſſes argumenta, ut tibi perſuaderes ſalutem tuam mihi curæ fuiſſe, præ illis, quæ tibi dedi? Numquid magis meipſum demittere poteram, vel te ſublimius extollere? Numquid unica in venis meis ſanguinis gutta ſuperfuit, vel una in corpore meo pars, quæ flagellis, ac vulneribus caruit? Quid ultra a me expetere potes, poſtquam meipſum tradidi tibi? Poſtquam tuam utilitatem meis prætuli bonis, vitæ, honori, aliquidne ultra facere poteram propter amorem tui? Si mihi animus non fuiſſet ſalvandi te, cur tot adhibuiſſem documenta, tot ſacramenta inſtituiſſem, tot gratias contuliſſem? Numquid proprio ſanguine tibi pharmacum præparaſſem, omnia vulnera tua ſanarentur? Numquid tibi comedendum præbuiſſem proprium corpus meum, niſi anima tua mihi eſſet chariſſima? *Idem.*

Exprobrationes, quibus Deus peccatores corripit, oſtendunt in ipſis poſitum fuiſſe ſemet ſalvare.

Hæc quoque ex iis artibus eſt, quas inſpirat vivendi licentia, perſuadere videlicet neminem in mundo ſalvari poſſe, quibuſdam ſaltem in conditionibus, ut ſuo veluti jure per fas, & nefas graſſari poſſit, quidquid audere, & conari. Sed prætextum hunc evertit Deus per eas minas, quas impiis in Scriptura intentavit: *Vocavi, & renuiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, &c.* Prov. 1. Neque enim ait; vocavi, & ſequi me non potuiſtis: quæ verba efficerent, ut Deus, licet Deus ſit, rationem redditurus eſſet interitus noſtri, nobiſque quodammodo cauſam adjudicarent. Sed *vocavi, & renuiſtis*: hoc eſt, noluiſtis efficaciter, noluiſti conſtanter, noluiſti eo modo, quo ſoles ea velle, quæ bona fide velle conſuevisti. Hoc autem poſito, quod in vobis ſitum fuerit id velle, videamus, S. Auguſtinus ait, utrum jure conqueri poſſitis hac in re, ubi nihil petitur ex vobis, niſi quod velitis: *Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt*. Si ut divites, nobileſque fieremus, ſatis eſſe velle, qui deſperaret, ſe cumulare poſſe divitias? *P. Bourdaloue in ſermone de Prædeſtinatione.*

Qui bene vivere ſtudent, credere poſſunt, ſe a Deo ſalvos factum iri.

Credine poteſt, nolle Deum nos ſalvos facere, cum nos bene vivere velit? Quid? vellet nos bonam ducere vitam, & bona occumbere morte, & nollet ſalutem noſtram? Verum igitur eſt, velle Deum, eos omnes, qui bene vivunt, & bene moriuntur, ſalvos eſſe; hoc perſpicuum eſt. Non dubitetis, utrum velit Deus nos bene & vivere, & mori, id enim explicite docet in Scripturis: igitur neque dubitare poteſtis, utrum vos ſalvos fieri velit. Scitote, Sanctus Paulus ad Rom. 9. ait, nullam in Deo eſſe iniquitatem: *Numquid iniquitas apud Deum*? Ideoque juſtitiæ coronam præparat omnibus illis, quos ſerio ad certamen invitat: ſincerumque habet deſiderium præmium conferendi omnibus illis, quos excitat, ut currant in ſtadio. Omnes ad præliandum invitat; ſanctæ adhortationes, quas per os Prophetarum, atque Apoſtolorum profert, generatim diriguntur ad omnes: igitur, quantum in ipſo eſt, vult omnes coronari, omnes recipere bravium. Clarius, & brevius; vult Deus omnes, qui legem ſervant, ſalvos fieri, at vult omnes ſervare legem: ergo vult omnes ſalvos fieri. Si eſſent aliqui, quos nollet Deus ſervare legem: illi hanc non ſervantes non peccarent, neque enim facerent contra Dei voluntatem: igitur aliqui eſſent, quibus permitteret Deus facultatem faciendi; quidquid malum vocatur a nobis; quod ejus ſanctitatem deſtrueret. Et ſi qui eſſent alii, quos vellet Deus ſuam ſervare legem, & quibus nihilominus ſalutem conferre detrectaret, hoc illius juſtitiam everteret. *P. Texier ſermone de prædeſtinatione in Quadrageſima.*

Cum ſalus noſtra & a Deo pendeat, & a nobis, opus eſt, ut confidentes in bonitate Dei, qui facere nequit, quominus ex ſe ea conferat omnia, quæ debet, nihil quod ad nos attinet, reliquum faciamus, ut ad effectus reducamus ſinceram voluntatem, qua nos ſalvos facere cœpit... Etenim inniti fallaci impiorum argumentationi paſſim dicentium: ſi prædeſtinatus ſum, nihil mihi timendum eſt, & Dei voluntas adimplebitur; ſin autem e contra, quodcumque faciam, immutabile divinum decretum non mutabo: inniti inquam funeſtæ huic argumentationi, qua ſeductor ſpiritus utitur ad animas decipiendas, illuſio eſt æque inſana, ac innoxia: etenim ſi prædeſtinatus ſum, id fieri non poteſt niſi per ea, quibus adhæret prædeſtinatio. Hæc autem docet fideles eſſe chriſtianam vigilantiam, timorem cum reverentia conjunctum, accuratiſſimam omnibus gratiæ motibus fidelitatem. Itaque ſtatim ac omnia iſta relinquo, meipſum quodammodo reprobo, atque me prædeſtinatum putans facio, quidquid faciendum eſt, ut me nequaquam prædeſtinatum eſſe mihi perſuadeam; Neque enim ſecundum ideas veſtras vos prædeſtinavit Deus, inquit Sanctus Fulgentius, ſed tamquam rationabiles creaturas, quæ mereri poſſunt, quæ victoriæ titulo cœlum lucrari debent, & quibus Deus gloriam tamquam juſtitiæ coronam pollicetur: itaut victoriæ, quas de affectibus noſtris reportamus, omnia ſatisfactoria opera, quæ ad noſtra expianda ſcelera fecimus, hæc virtutum catena juſti vitam componentium per finalem perſeverantiam terminata, ſint neceſſarius prædeſtinationis effectus, & velle hæc duo ſeparare, velle, inquam, ſibi perſuadere ſe prædeſtinatum eſſe, ubi ea negliguntur omnia, quæ prædeſtinationem ſequi debent, hoc eſt eum errorem fovere, qui contradictionem involvit. *Specimen ſermonum pro Dominica decimanona poſt Pentecoſten.*

Prava flagitioſorum argumentatio de prædeſtinatione.

Fieri nullo modo poteſt, improbus ait, ut meam ſententiam immutem; quandoquidem ante ſæcula prolata fuit; fieri nullo modo poteſt, ut ſortis meæ Dominus fuerit deceptus. Argumentatio temeraria ſimul, & fallax. Temeraria quidem: etenim inane argumentamini, cum de iis agitur negotiis, quæ vobis ſunt antiquiſſima? Numquid litem deſeritis ſine productionibus, ſine cauſidicorum conſiliis, ſine ſollicitationibus hanc prætexentes cauſam, quod exitus illius Domino exploratus eſt? Numquid noſmet ſorti credimus, ac naturam ex ſe ſola operari relinquimus, eo quod Deus dies noſtros numeravit? Sed fallax eſt etiam argumentatio. Novit Deus ſortem meam, utrum beata, an funeſta futura ſit; eſto: ſed ejus cognitio nil addit... Et S. Auguſtinus oſtendere volens, Dei præſcientiam nullam actionibus noſtris imponere neceſſitatem, hoc probat argumento. Tantum abeſt, ait ille, quod libertati noſtræ ullum afferat detrimentum præſcientia, quod potius per hanc confirmatur; neceſſario enim fatendum eſt, res eodem modo eventuras, quo præviderat Deus futurum, ut evenirent. At prævidit Deus illas libere, ex voluntate, ſine vi, abſque neceſſitate eventuras; inferendum eſt ergo futurum, ut hoc pacto eveniant. *Sermo manuſcriptus.*

Quid Deo dicere hanc ob rem non poſſet reprobus, ſi ille æternam electis ſuis beatitudinem deſtinans nulla habita meritorum ratione, de hoc minime cogitaſſet? Ubi, Domine, ſunt illa miſericordiæ viſcera, de quibus Biblia loquuntur, quæ ubique prædicari voluiſti? Undenam factum eſt, quod ſine ulla meritorum cognitione hunc eduxiſti de maſſa corruptionis, ut eum faceres filium adoptionis, regni tui hæredem, & vas honoris, me vero deſeruiſti tanquam victimam funeſto mortis charactere notatam? Quid ad me, quod prima illa in diviſione, quam habuiſti, me ſine cauſæ cognitione damnaveris? nonne ſatis erat de me nil mali cogitare, ſi nihil cogitares boni? integrumne poſt hæc erat mihi contra tuæ potentiæ torrentem obluctari? licebatne mihi contendere, ut tuum ingrederer regnum, ad id neque vocatus, neque deſignatus? Ædium tuarum graphidem tibi propoſuiſti, & quemdam electorum lapidum numerum connotaſti, ita ut jam rationes ſupputatæ ſint, & captæ dimenſiones. Nihil addi poterat, ut numerus augeretur. Quid ergo miſere illinc prohibitus facere poteram, niſi tuam quidem arguere bonitatem, meam vero calamitatem deflere? *P. Cauſſinus effato ſexto de prædeſtinatione.*

Rationes probantes exiguum eſſe prædeſtinatorum numerū.

Sola ſufficeret ratio ad probandum prædeſtinatorum numerum perexiguum eſſe debere. Satis eſt ad id cogitare hinc quidem, quid ſit nobis faciendum, inde vero quid faciamus. Ut ſalvi ſimus, neceſſario vivendum eſt ſecundm Evangelii præcepta: at quotuſquiſque hodiernale die ad illam ſuam vivendi rationem conformat? Ut ſalvi ſimus palam noſmet Jeſu Chriſti diſcipulos profiteri debemus. Heu! Quot pudet tales videri! Effectu, vel affectu relinquenda ſunt ea omnia, quæ poſſidentur, & quotidie crux eſt ferenda; ex hac nota noſtin' plures Jeſu Chriſti diſcipulos? Mundus irreconciliabilis eſt hoſtis Jeſu Chriſti, ac ſe Jeſu hoſtem profitetur, qui mundi placita ſequitur. Nemo poteſt ſimul duobus dominis ſervire; uter plures habeat ſectatores, penes te judicium eſto... Ut cum mortale crimen diutinæ, ſanctiſſimæque vitæ meritum aufert: num hodierna die ſatis innocens ducitur vita? Quot ſecreta crimina! Quot adoleſcentiæ peccata, quæ nos fallunt! Quot gravia ſcelera, quæ levia exſtimantur! Nemo eſt certus ſuæ pœnitentiæ: hinc autem plures ſalvos eſſe argumentaberis? *P. Croiſet tomo* 1. *receſſuum.*

D. Chryſoſtomi ſententia de exiguo prædeſtinatorum numero.

Quot putatis ex magna hac civitate ſalvos futuros, dicebat S. Chryſoſtomus ad cives Antiochenos? Quod dicturus ſum, magnus ille vir addit, vobis terrorem incutiet; attamen nequeo facere, quominus id dicam: ex tot animarum millibus, quæ nunc adeo ingentem componunt civitatem, quæ vel magnitudine, vel frequentia nulli cedit, vix centum ſalvæ fient, de quarum ſalute adhuc incertus ſum. Antiochena civitas tunc temporis non minus exculta erat, quam hodierna die ſint urbes, ubi Chriſtiana colitur religio; honeſtis erat repleta mortalibus, populus devotus ferebatur; frequentabantur Sacramenta, ibique vivebatur, quemadmodum hodie vivitur in mundo. Ex Sancti hujus viri ſententia, qui profecto, niſi ſuperno afflatus fuiſſet lumine, rem hanc adeo ſerio non affirmaſſet, de exiguo electorum numero judicium feramus. Quid autem noſmet eo uſque excæcamus, ut minime videamus, ita viventes, uti vivimus, in tanta ſalutis noſtræ negligentia nos in certiſſimum interitum ruere? *Idem.*

De magno reproborum numero.

Si plerorumque fidelium vitam inſpicimus, illi quidem ex reproborum potius, quam prædeſtinatorum numero futuri videntur; & in hujus eventus incertitudine nequaquam ſervari æqualitatem, ſed lancem infernum verſus, potiuſquam cœlum inclinare. Quomodo ergo mundi amatores non extimeſcant, quandoquidem Sancti ipſi, qui præ cæteris magis certi eſſe deberent ſalutis ſuæ, trepidant, & expaveſcunt? Magnus ille Apoſtolus Sanctus Paulus caſtigat corpus ſuum, ne reprobus fiat; & Sanctus Auguſtinus ſenſus ſuos cum Apoſtoli hujus ſenſibus conferens nonniſi ſummo ſtupore, ac terrore captus, quid de hoc ſentiat myſterio, ſignificat: *Novi cum Paulo Apoſtolo expaveſcere, quod etiam ille, cum conſideraret, expavit, & expaveſcens exclamavit, o altitudo &c. Biroat in ſermone ſeptimo.*

Non deeſt trepidandi cauſa ingentem reproborum numerum intuentibus.

Electorum numerus ad ſatis paucos redigitur: quod oraculum ex Jeſu Chriſti ore emanavit: *Pauci electi.* Nullus Pater illud vel interpretatus eſt, vel mitius intelligendum aſſeruit, vel in minus rigoroſo ſenſu explicavit; immo neque Hæreticus aliquis illud in dubium revocare auſus eſt. Verum quodnam terroris argumentum mentibus noſtris non objicit? Certum eſt potuiſſe Deum æque omnes homines prædeſtinare, quin duas efficeret maſſas, alteram quidem reproborum, prædeſtinatorum alteram; potuiſſe efficere, ut Angeli, homineſque univerſi certiſſimam gloriam conſequerentur. Quid igitur neceſſe erat, o Deus, æternos ignes ſuccendere ad puniendos peccatores, qui culpa ſua quidem damnantur, ſed quos ſexcentis, iiſque variis rationibus in cœlum adducere potes? Fruſtra mentis aciem intendo ſapientiæ tuæ cauſas divinaturus, quæ prohibuerunt, ne Sanctorum numerum mortalium numero æquares. Poſſum quidem aſſerere, te hoc pacto voluiſſe oſtendere ultricem juſtitiam tuam, quæ nonniſi in reproborum pœnis eniteſcere poteſt. Hæc ratio non admodum humanas afficit mentes. Ego quidem quotieſcunque id reputo mecum, memet coram profunda Dei mei ſapientia exclamare cogor: *O altitudo*! O conſiliorum ejus profunditas: o impenetrabilis arcanorum abyſſus! Scio Deum nihil niſi juſte operari, & hoc ſufficit mihi: *Nunquid iniquitas apud Deum*? ad Rom. 9. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo*? Curta mens; mortalis infirme, ſufficiat tibi Dei tui admirari ſapientiam, quin illam audeas ſcrutari! Igitur non deeſt, unde confundamur, & formidemus conſiderantes a Deo infernum creatum fuiſſe; ſed non deeſt etiam, unde totis artubus contremiſcamus cogitantes longe plurimos illos eſſe futuros, qui reprobati illic æternum cruciabuntur. *Ex manuſcripto ſermone.*

Gratiæ omnes, per quas operatur Deus noſtram prædeſtinationem, ut manu Dei ſunt, eaſque & quibus vult, & quando vult, gratis diſtribuit. Omnes dico gratias, & eas, quæ ſalutem incipiunt, & eas, quæ illam perficiunt. Quæ ſalutem incipiunt: hic fidei noſtræ articulus eſt; vocationem ad Chriſtianiſmum a meritis noſtris nequaquam pendere. Sancti Auguſtinus, & Proſper ſemper præcipuum hunc noſtræ religionis articulum inculcarunt: *Quis te diſcernit*? dicebant illi poſt Sanctum Paulum. Superba creatura, quonam igitur eſt tuæ electionis principium? Si tui generis fauſta fortuna te inter fideles edidit, cuinam gratiam acceptam referre debes? Hac autem fidei veritate ſuppoſita nonne jure cum Apoſtolo exclamare poſſum: *Ubi eſt gloriatio tua*? Quid gloriari potes eam ob gratiam, quam meritus non es? Salutis noſtræ conſummatio non magis in poteſtate noſtra ſita eſt, quam noſtræ electionis initium. Illis, qui ſancte vixerunt, Deus fere ſemper concedit gratiam finalis perſeverantiæ, & mortis in juſtitia: ſed nequaquam ſeſe huic legi ſubjecit, atque eo præſertim momento, quo de noſtra æternitate ſtatuendum eſt, locum habet hoc Sancti Pauli ad Roman. 9. axioma: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Sanctificationis opus effectus eſt beneficæ voluntatis Dei, non autem languidæ voluntatis ejus, qui moritur. Quæ igitur mihi non ſuppetit timoris, & humiliationis cauſa has veritates æque certas, ac terribiles cogitanti? *Idem.*

Quid inferendum eſt ex eo, quod magis terribile ideſt in aliorum quidem prædeſtinatione, aliorū vero reprobatione.

Prædeſtinatorum numerus ad paucos redigitur, & neſcio, utrum majori numero futurus ſim. Gratia, quæ me ad ſalutem adducit, omnino in manu Dei eſt. Quid igitur faciam? Quid capiam conſilii? Num illud ſolitarii ejus, de quo in libro de perſeverantia loquitur Sanctus Auguſtinus, qui ex Sancti Doctoris principiis perperam intellectis eas hauſit illationes, quæ eum ad deſperationem adegerunt, effeceruntque, ut cellam ſimul, ſalutiſque ſuæ curam negligeret? Haud ita profecto, o Chriſtiani: quod hoc in myſterio terribile eſt, nobis ſane timorem debet injicere, ac nos humiliare, ſed non ideo ad deſperationem impellere. Exiguus eſt electorum numerus, cœli janua arcta eſt: ego vero omnes conatus exeram ingreſſurus: *Contendite intrare per anguſtam portam.* Luc. 13. Modicum conſtantiæ, niſus generoſus, certum conſilium proculdubio perficiet, quod gratia Domini feliciter cœpit: *Contendite.* Prædeſtinatio mea mihi ignota eſt; ſed juxta cujuſdam S. Apoſtoli conſilium illam bonis operibus certam mihi facere adnitar: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram electionem faciatis.* 2. Petri 1. Quoad gratiam, qua a Deo donatus fui, & quæ meam incipit ſalutem, hæc æternum erit mihi grati animi argumentum erga Deum, a quo eamdem recepi: quoad illam vero, quæ perficit, & prædeſtinationis meæ finem imponit, ita favente Deo vitam inſtituam, ut nonniſi in juſtitia occumbere poſſim; atque Deum precibus fatigabo id aſſecuturus, quod mereri non poſſum. *Idem.*

Cum animum adverto ad hæc Sancti Pauli verba, vult Deus, omnes homines ſalvos fieri, ii me rapiunt impetus zeli, quibus extra me quodammodo feror. Tunc temporis arrepta Crucifixi imagine vellem eos omnes conſolari, quos timidum ingenium, vel non ſatis probata directio, vel quorumdam periculoſorum librorum lectura ad deſperationem uſque perturbant. Jeſu Chriſti morientis adſpectus ſufficiens eſſet, ut mihi videtur, eorum ambiguitati remedium. Fratres, dicerem illis, conſiderate hæc lumina extincta, caput cruentum, conſoſſas manus; ac deinde illi ea Sancti Pauli 1. ad Timoth. 4. adjicerem verba: *Chriſtus dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Non deeſt igitur in adeo generali beneficio pars mea. Non igitur Adam eam mihi conflavit perniciem, cui Jeſus Chriſtus medicinam minime attulerit. *Idem.*

Deus ab æterno ſalvare nos voluit. Hoc magnum eſt ſpei argumentum.

Mihi ambigenti, utrum in prædeſtinatorum numero adſcriptus ſim, quodnam majus eſſe poteſt ſolatium, quam ſcire, Deum ab æterno oculos ſuos in me convertiſſe, & ante ſæculorum initium illum de me cogitaſſe? Cum primum me vidit, propitio reſpexit oculo; meque beatum voluit momento eodem, quo me ex nihilo educere deſtinavit. Heu! quænam ratio te impellere potuiſſet, Deus, ut me perdere velles, antequam eſſem infidelis? Non vis mortem peccatoris, quantumvis ille nequiſſimus ſit; ſed ut convertatur, & vivat; quomodo vero velle poſſes mortem innocentis, qui nocens non fieret, niſi propter duram pereundi neceſſitatem, quam illi impoſuiſſes? *Idem*.

Cum Jeſus Chriſtus obierit pro omnium ſalute, omnes nemine excepto ſalvari poſſent ex S. Auguſtini ſententia.

Redemptor Deus Sanguinem ſuum pro hominibus omnibus effudit; ideoque hoc primum fuit Dei conſilium illos omnes ſalvos facere, dummodo perfrui velint pretioſæ hujus mortis fructu. Hæc explicita eſt doctrina Doctoris gratiæ Sancti Auguſtini, qui nil prætermiſiſſe videtur, ne hac in re de doctrina, & fide ſua dubitandi locus ſupereſſet. Ita loquitur libro ſexto contra Julianum, hoc eſt in controverſiæ diſputatione, ubi cauſæ neceſſitas exacte eum loqui cogit. *Impingo*, ait ille adverſario ſuo, *inculco*, *infarcio recuſanti*. Hoc dico, hoc repeto, hoc in omnes ſenſus verto, ne dubites. At quodnam eſt oraculum, quod tanta cum emphaſi prolaturus eſt Auguſtinus? Hoc eſt: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, Quid magis explicitum; quid certius? Verum ut intelligatur, quonam in ſenſu loquatur de hac univerſalitate mortis Jeſu Chriſti ſatis eſt animum advertere ad eas circumſtantias, in quibus hoc deciſionis oraculum protulit. Conabatur Sanctus Doctor ſtatuere univerſalitatem corruptionis per primi hominis noxam effuſæ, atque ideo ita argumentatur. Jeſus Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; omnes igitur homines per iniquitatem primi parentis perierant, & quemadmodum originale peccatum nullam patitur exceptionem, nullam æque patitur Jeſu Chriſti redemptio: hæc igitur nullis finibus, nullo limite continetur. Hæc igitur pro me eſt æque, ac pro aliis omnibus; neque mihi potior eſt dubitandi cauſa, utrum me ſalvum facere velit, quam ambigendi, utrum pro me animam efflaverit; & citra errorem, atque blaſphemiam credere nequeo me ab iſto reprobatum ab æterno fuiſſe, quin viderit futurum, ut me ipſum meis infidelitatibus reprobarem, ac mihi aditum prohiberem, ne in eorum numero recenſerer, quos vult ſalvos facere. *Idem*.

Ut ſis ex prædeſtinatorum numero, vim tibi debes inferre.

Narrat Sanctus Lucas, cum neſcio quis ex Dei filio quæſiviſſet: Domine, paucine ſalvi fient? illum reddidiſſe, contendite intrare per anguſtam portam. Hæc unica eſt ad ſalutem via. Quilibet ſibi vim facere debet, quilibet ingenium, ſtudiumque ſuum debet ſuperare, quilibet ſe ipſum continere debet, & a ſæcularium placitis, ſermonibuſque abhorrere. Nequaquam faciendum eſt, quod mundus facit, quod plerique e ſæculo faciunt; lata enim perditionis janua eſt, quemadmodum Salvator ipſe teſtatur: & patens via, quæ ducit ad illam, ac plurimorum veſtigiis attrita. Si igitur per magnam hanc incedimus viam, per quam vulgo plerique ingrediuntur, in via perditionis ſumus. Pauci ſunt, divinus nos docet Magiſter, qui arctam inveniant viam: debemus ergo eſſe ex hoc numero exiguo, & non agere, uti vulgo conſuevit. *Boudon in libro, cui titulo*: Le Chrètien inconnu.

Artes ſecretæ, quas adhibet Deus, ut noſtræ prædeſtinationis negotium proſpere cedat.

Quis dicendo enumerare poſſet, quidquid operatur Deus pro electis ſuis, ut magnum hoc prædeſtinationis negotium ad optatum finem perducat; omnia conſilia, præcautiones, artes media, quæ præparat, & quibus utitur ſubinde, ut noſtram ſuæ voluntati conſociet, noſque tanto beneficio dignos efficiat? Hoc ille nobis aliquan oſtendet, nobiſque ſingillatim aperiet curas ſuas, ſecretaſque vias, per quas ipſius providentia nos ad finem deduxit. Tunc noſtram intelligentes infirmitatem, & nihilum, ac admirati eam ſollicitudinem, qua Deus nos ſalvos facere ſtuduit, non aliud facere poterimus, quam exclamare: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*. Pſalm. 88. *Sermo manuſcriptus*.

Infideles, qui bene vivunt, obtinere poſſunt gratiam veniendi ad cognitionem Jeſu Chriſti, & ſaluté ſuâ operandi.

Non deſunt profecto populi ſedentes in tenebris, & in umbra mortis, quibus juſtitiæ Sol, cum per Evangelii prædicationem illuxerit, deinde ſecretis Dei judiciis, & impenetrabili conſiliorum ejus altitudine eclyſi laboravit. Verum tandem quamvis hi populi in ignorantia demerſi Jeſum Chriſtum non noverint amplius, de quo nunquam ſibi verba fieri audiverunt, hic tamen quaſdam eorum aliquibus concedit gratias, qui legibus rectæ rationis fideles, cujus prima habent rudimenta, bonis operibus attrahere poſſunt, non ſecus ac Centurio Cornelius, miraculoſæ converſionis gratiam: & Sanctus Thomas teſtatur, a Deo potius de cœlo miſſum iri Angelum, a quo erudiantur, quam ille deſit officio Redemptoris univerſalis hominum, eis denegans lumina, quibus indigent, ut illum agnoſcant, ubi nullum peccatis ſuis obicem iiſdem opponant. Ita cum nullus ſit in terris homo, qui per Jeſu Chriſti gratiam ſalvus fieri non poſſit, & cui ſupremus hic Redemptor nequeat mortis ſuæ merita applicare, immo cui nolit, niſi hic aliquem obicem ſtatuat; ita nullus eſt, qui frui redemptionis fructu non poſſit. *Abbas du Jarry Sermone de Magnalibus Jeſu*.

SUPPLEMENTUM.

Quid ſit prædeſtinatio. De dono perſ. c. 14.

PRædeſtinatio, definiente Sancto Auguſtino, *Eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur*. Comprehendit actus intellectus Dei, *præſcientia*; & actum voluntatis Dei, *præparatio*. Actum intellectus, quo in generali gratiarum ſuarum theſauro, quarum vim effectumque in ſingula corda cognoſcit, videt, quænam ſint aptiores ad ſingulos certiſſime ad ſalutis ſuæ terminum perducendos, & actum voluntatis ſuæ, quo ſeſe determinat huic vel illi dare, vel ſecus has gratias, & hæc certiſſima ſalutis ſubſidia. *Pater de la Rue in Quadrageſima*.

Quid nobis faciendum cũ deſperationis crimine tentamur.

Non minima tentatio in aſcetica vita eſt, diffidentiæ, quæ in eo poſita eſt, ut quis putet ſe reprobatum iri, ideoque quidquid propter Deum fecerit, irritum fore. Periculoſa tentatio! Adducit nos in teporem, in officiorum noſtrorum oblivionem, & ſalutis deſperationem. Pernicioſæ huic diffidentiæ opponamus plenam, integramque in meritis Filii Dei confidentiam, prædeſtinatuſne ſum? Hoc Chriſtiano impenetrabile myſterium eſt: at ſervit Deo bono: ac fideli; hoc ſciat opus, & ſatis eſt: ſatis enim eſt ſcire qua bonitate, ac miſericordia agat nobiſcum. Cæterum ſi nobis non licet eas enodare difficultates, quas nobis noſtra objicit imaginatio, modo ſupra quibuſdam favoribus, quos Deus aliquibus quidem largitur, aliis vero negat, modo ſuper prædeſtinatione, modo ſuper finali perſeverantia in bono, ne nobiſmet ultra crucem figamus. Homines qui majori lumine ſunt præditi nil magis, quam nos intuentur in hiſce myſteriis impenetrabilibus, nobiſque ſufficit certe dicere poſſe cum Sancto Paulo Apoſtolo: *Scio, cui credidi*. Hæc viva fides majorem habere debet vim ad omnes turbas noſtras ſedandas, quæ in nobis de ſalute noſtra oboriuntur, quam præſtantiſſima lumina, quam particulares revelationes, quæ aliquando meræ ſunt illuſiones. Neceſſarium non eſt, ut in iis ſollicitudinibus, quas nobis ſalutis noſtræ cogitatio faceſſit, dicere valeamus: Scio cui credo; dicere ſatis eſt cum Apoſtolo, cui credidi; habitus fidei ſupplet actui, quem tunc non poſſemus elicere. His igitur dubitationis temporibus revocemus eos fidei, & confidentiæ actus, quos totus elicuimus, hæc recordatio poteſt nobis in præſens tempus prodeſſe. *P. Segneri in Meditationibus. Tomo* 3. — 1. Tim. 1.

Tribulationes, Tentationes, peccatum ipſum conferunt ad Electorum ſanctificationem.

Commixtio boni, malique ſimul totam hominis vitam componit. Satis liquet favores, & ſolatia, quibus afficimur a Deo, in electorum cedere utilitatem. Sunt enim novæ cauſæ Deo inſerviendi, eique arctius hærendi, ac puriora, & frequentiora laudum ſacrificia eidem offerendi. *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi*. Pſalm. 121. At quomodonam adverſa, tentatio, peccatum, quæ vitæ mala ſunt, in bonum convertuntur pro juſtis? Hoc quidem intellectu arduum eſt; hoc vix perſuaderi cuiquam poteſt, licet veriſſimum eſſe probare valeamus. Primum enim. Juſtorum tribulationes gignunt in illis virtutum, meritorumque incrementum: perſecutiones eorum augent charitatem, eique novum afflant decorem eo nitidiorem, quo plures majoreſque perſecutiones patiuntur. Humiliationes magis, magiſque eorum perficiunt humilitatem: infirmitates, & ærumnæ vitæ hujus illorum augent patientiam, & Divinis voluntatibus ſubmiſſionem: *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat*. Regum 1. Secundo tentatio juſto ſchola eſt, ubi diſcit inferni poteſtatibus repugnare, ubi educetur illius dolos detegere, & ubi illius conatus contemnere aſſueſcit. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*. Jacobi 1. Denique juſti ex ipſo etiam peccato fructum percipiunt. Lapſus eorum fons ſunt ſuſpiriorum, & lacrymarum, altioris humilitatis, & magis aſſiduæ vigilantiæ cauſa. Nihil ergo verius eſt, quam omnia in bonum juſtorum converti: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Rom. 8. Sed propter oppoſitam peccatorum oppoſitionem, omnia illis convertuntur in malum. Gratiæ ipſæ, quas Deus illis concedit, eos nocentiores efficiunt, & Divina miſericordia, quæ corda eorum mollire deberet, & ad Deum revocare, eiſque oſtentare Divinam ergo ipſos clementiam, non alium habent in cordibus eorum nequam effectum, niſi quod illa efficiunt nocentiora, eaque in flagitiis ſuis reddunt tranquilliora, & in illis admirabilem pariunt ſtupiditatem: *Peccavi, & quid mihi accidit triſte?* Eccl. 1. Ex his indiciis licet vobis quodammodo de æterno fato veſtro judicium ferre. Omnia vobis cooperantur in bonum; vobis eſt prædeſtinatorum caracter, & per hunc Apoſtolus eos nos dignoſcere docet: *Scimus quoniam diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*. Supra. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Quid animæ fideli faciendum in ariditatibus, & ſpiritualibus deſolationibus.

Obruimur nonnumquam tanta ſpiritus ariditate, ut omnem futurorum bonorum ſpem abjeciſſe videamur. Quid tunc agit anima vere Chriſtiana? Licet triſtibus hiſce momentis tamquam reprobatam ſe intueatur, nihil tamen ſpernit, quod pertinet ad Deum, qui diligi meretur etiam ab illis ipſis, quos plectit. In terribili hoc ſtatu ita ſe gerit, ut olim tres pueri Babylonici. Daniel. 3. Hos in idololatriam pellicere adnitebatur Nabuchodonoſor eam prætexens cauſam, quod illorum Deus ipſos nequaquam ex manibus ipſius eſſe erepturus. Non eſt nobis, quid in hac re tibi reſpondeamus, dixerunt: ſcias tantum, Deum quem colimus poſſe nos de medio etiam fornacis ardentis educere. Quod ſi minime velit, ſcias etiam magne Rex, nos neque Deos tuos, neque aureum hoc ſimulacrum, quod erexiſti, adoraturos. Hoc ipſum tentatori reddere opus eſt, ſi nos urgeat ut mundi idolo ſacrificemus; nam inquiet ille nobis; nihil eſt, quod a Deo veſtro ſperetis. Deus, cui ſervimus, poteſt nos ab æternis ignibus tueri; ſed licet tueri nos minime vellet, illi tamen ad mortem uſque fideles erimus, potiuſquam alteri cuipiam, præter ipſum thus adoleamus. Quidquid eveniat, ſcio illum unum amore, atque obſervantia dignum eſſe. Nihil mihi ſaluti meæ timendum eſt, niſi a me ipſo, dicere potes; ſcio te dominorum omnium optimum eſſe, ac fideliſſimum: ſcio me nihil facere pro te, de quo rationem aliquando habiturus non ſis. Denique tibi ſerviens quodnam periculum ſubiturus ſum? Licet reformidem, ut ad finem uſque valeam perſeverare, ſerviens tibi id ſemper facio, quod mihi faciendum eſt. Servio Domino, quo non eſt alter mea dignior ſervitute, & obſequio. *Idem*.

Dei Filius mortuus eſt pro omnibus ſine ullo diſcrimine pauperum, divitumque. Ad Rom. 10.

Non eſt diſtinctio Judæi, & Græci. Cum nullum ſit Judæum inter Græcumque diſcrimen, ullumne pauperem inter, & divitem futurum eſt, ullum inter nobiles, ac alios e trivio, ubi de illorum ſalute agatur? Hæc prædilectiones in animarum regimine, ſtudia hæc odio ſunt, ac palam oſtendunt aſſertum hunc zelum effectum eſſe carnis, & ſanguinis vel ut loquar apertius, ſuperbiæ, & avaritiæ. Mortalium omnium abjectiſſimi anima iiſdem ſumptibus ſtetit Mundi Salvatori, ac anima præſtantiſſimi Regis. Numquid propter Deum operatur, qui inſignium domtaxat virorum, ac matronarum regimina expoſcit, & frigidum, inſipidum, ac faſtidio proximum zelum habet, pro ſalute eorum, qui a mundo popellus vocatur? Judæus, & Græcus æque ſunt opus manuum Domini. Deus hic, apud quem nulla eſt perſonarum acceptio, afferebat adveniente Meſſia nullum amplius futurum diſcrimen inter eos, & fore ut omnes in unum eumdemque populum coaleſcerent, a quo nomen ipſius vocaretur, & ſuper quem promiſcue opes miſericordiæ ſuæ effunderetur. Væ illis, qui has cum aliis ab eo dividi invidentes ſeſe iiſdem dignos præbuerunt! Judaicus iſte ſpiritus, qui Domini miſericordias coarctare cupit, nonne adhuc regnat in nobis? Dominus omnium dives eſt in omnes invocantes illum, neque metuendum eſt, ut propter ſuas liberalitates ad egeſtatem redigatur. Quemadmodum terræ principes locupletes non ſunt pro omnibus ſibi inſervientibus; fere ſemper importuni ſumus cum ab illis gratias petimus, & plerumque illas concedunt, ut omni importunitate liberentur. Sed cum Deus noſter ſit dives pro omnibus, qui invocant illum, præcipit, ut inceſſanter illum precibus fatigemus; & ſi quando votis noſtris differt annuere, id agit, ut per egeſtatem diutius cum illo permaneamus. Quæ major confidentiæ cauſa? *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus*.

In prædeſtinatione, & reprobatione magna nobis humiliationis eſt cauſa.

In temporis venturi conſpectu magnum nanciſcimur humiliationis argumentum. Prædeſtinatus ſum? an reprobandus? Salvus ero, necne? Nihil ſcio. Quantam nobis immittere debet humiliationem hæc incertitudo! Hoc unum ſcio, me nequaquam ſalvum futurum ſine gratia perſeverantiæ. Sed heu! Gratiam hanc neque mereri poſſum, neque certam mihi promittere. Quanam in re confidere poſſum? In Dei voluntate? Hæc mihi ignota eſt: *Quis cognovit ſenſum Domini?* Rom. 11. In voluntate mea? hæc inordinata eſt, fragilis & inconſtans. In bonis operibus meis? Væ mihi! præſtantiſſima opera gratiam hanc promereri non valent. In gratiis, quibus cumulatus fui? Quis mihi dixit, me illis fidelem futurum? Quis pluribus gratiis actus fuit, quam Salomon? probabile tamen videtur ei perſeverantiæ gratiam defuiſſe. In ſtatus mei perfectione? Perfectior ne eſt ſtatu Judæ ſocii, & Apoſtoli Filii Dei, teſtis virtutum, & miraculorum illius? Factus eſt proditor ex Apoſtolo, & deſperata ſalute periit. Si fundamenti columnæ fuerunt everſæ, calami fragiles ſtabimus? Quæ noſtra confidentia eſt? Nonne nobis eſt trepidandi, & humiliandi cauſa? *P. Nepveu in Chriſtianis Animadverſionibus*.

Chriſtiani nullam habent ſeſe gloriandi cauſam eo quod in Judæorum locum fuerint ſuffecti.

Sanctus Paulus Apoſtolus in Epiſt. ad Romanos duplex ramorum genus diſtinguit in arbore. Alii quidem orti ſunt quodammodo ex ipſa naturali arboris fœcunditate, alii vero inſititii ſunt. Ut arbor inſeratur, aliquot amputantur ejuſdem rami, ac in locum eorum inſeritur germen, quod alitur ſucco, quo ramus naturalis fuiſſet alendus. In arbore ſalutis rami naturales erant filii Abrahæ, ex quibus aliqui per nequitiam confracti ſunt, & gladio ſeparationis, atque reprobationis ſecti ſunt, in quorum locum gratuita electio Dei inſevit genimina Gentilitatis, quæ gratiæ ſucco fovet, & alit. His ſimiles eſtis, Apoſtolus inquit. Antequam electi fuiſſetis, eratis oleaſtri, ſteriles, ac ſuapte natura infrugiferi. Increduli Judæi a trunco, qui Jeſus Chriſtus eſt, amputati fuere. Hujus miſericordia per gratiam ſuam vos in arborem Evangelicam inſevit, ingreſſi eſtis in ſocietatem cum radice a Judæis ſumpta, victuri ex eodem ſucco gratiæ Jeſu Chriſti. Super hæc dicitis, Judæos, qui veri erant rami, de Evangelica excidiſſe gratia; eos a Deo ſectos fuiſſe tamquam ramos ab arbore avulſos, vos autem ab illo inſitos, & in eorum locum ſuffectos fuiſſe. Vera dicitis; verum nihil eſt, quod inde glorieмini citra inſolentiam; ſi enim per ſeparationem ſuam vobis locum fecerunt, & ſi fuere divulſi, ne aliam cauſam inquiratis, quam meram Dei bonitatem, qui vos dignatus eſt in locum eorum ſubrogare: vobiſque timendi locus eſt, ne, niſi fructus attuleritis, vos quoque amputemini, & alii in locum veſtrum ſuccedant. Si enim Dei juſtitia adeo ſevera fuit, ut naturalibus ramis non pepercerit; numquid facilius parcet vobis, qui per gratiam, cum eſſetis alieni, ignoti, & inimici, in domum ejus introducti fuiſtis, & adoptati pro ſuis? *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte, nec tibi parcet*. Ad Rom. 11. *P. Gibieu*.

Dei conſilia de prædeſtinatione, & ſunt inveſtigabilia.

Quamvis Dei de hominibus conſilia ſint abyſſi, quarum ima pars perluſtrari minime poteſt: fatendum nihilominus eſt, ex omnibus Dei ſecretis nullum eſſe magis impenetrabile, quam illud æternæ prædeſtinationis atque reprobationis. Scire enim in omnibus particularibus circumſtantiis, cur Deus ſæpe temporalibus bonis cumulet impios, eorumque ſcelera in terris impunia relinquat: cur altera ex parte permittat, ut quamplurimi omnium egeant, & in contemptu habeantur, conviciis, contumeliiſque proſcindantur; hoc ſane ſperandum non eſt, licet generatim aliqua facti hujus afferri poſſint argumenta. Certum eſt, Deum magnis peccatoribus inſignes proſperitates concedere in præmium aliquot mortalium virtutum, quas exercuere; neque enim aliud largiri poteſt iis, qui ſunt æterna beatitudine indigni, vel quia hæc quædam eſſe poteſt ratio molliendi duritiam cordis eorum ad rationem eos revocandi, a terrenis rebus avellendi, & immittendi guſtum eorum bonorum, quæ ſunt æterna. Quod ſi eorum flagitia debitis immunia pœnis abire ſinit; id agit, quia ſibi reſervat eadem in altera mulctare ſeverius, quam hic facere poſſit: E contra ſæpe permittit ut juſti bonis ſuis exuantur, humilientur, omnibuſque modis divexentur: ſed ut per patientiam expiare poſſint leves noxas, quas per fragilitatem committunt, atque ut multiplicatis meritis in cœlo altiorem gloriæ gradum acquirant. *Cardinal Bellarminus in Opuſculis*.

Cur Deus Jacob quidem dilexit, Eſau vero odio habuit, antequam in lucem eſſent editi, & quidquam boni, vel mali feciſſent? Hoc admiratur Apoſtolus, & ſatis mirari nequit. Quis non terrebitur cogitans plures, non ſecus ac Judam, poſtquam diu in bonis operibus perſeveraſſent, pauliſper excidiſſe, ac miſere periiſſe, cum alii, qui omnem fere vitam in flagitiis traduxerant, non ſecus ac bonus latro ſeſe receperunt, beatumque finem flagitioſæ vitæ impoſuerunt? Hæc myſteria ſunt, quæ humana ratio non aſſequitur, & Apoſtolus admirabatur, quin eadem perſcrutari auderet, ubi clamabit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt* Ad Rom. 11.

ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus &c. Sufficit igitur ſcire nullam in Deo dari injuſtitiam, & extremo judicii die omnes dicturos: *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Ad hæc utile nobis eſt hoc ſecretum; ac intereſt noſtra illud ignorare. Efficit enim, ne quis peccator de ſua ſalute deſperet, & ne juſtus de ſua certus ſit. Hoc etiam præſtat, ut juſti non abjiciant ſpem de converſione peccatorum, ut jugiter pro his deprecentur, & pro viribus eos revocare contendant de iniquitatis via, in qua ſeſe miſere implicuerunt; & ut ipſi tandem, licet ſint ſancti, numquam in propria virtute confidant, ſed diffidant de viribus ſuis, & eo majori conatu, ac tremore ſalutem ſuam operentur, quo minus ſciunt utrum in bono ſint perſeveraturi. *Idem.*

Pſal. 118.

De voluntate quam habet Deus homines ſalvos faciendi.

Certum eſt, licet Jeſus Chriſtus natus ſit, paſſus ſit, & mortuus generatim pro mortalium omnium ſalute, non tamen omnes homines ſalvos fore. De fide imo eſt numerum electorum, videlicet eorum, qui redemptionis fructum percepturi ſunt exiguum eſſe, eorum autem qui damnantur maximum. Salvator ſatis ſuperque ſumptus erogavit, & ipſe factus eſt victima propitiationis pro peccatis noſtris, dicit Sanctus Joannes, neque pro noſtris tantum, ſed pro omnibus omnium. Sed non omnes obediunt Evangelio, Sanctus Paulus inquit, ideo non omnes poſſunt ſalvari. Sincera quidem eſt Salvatoris voluntas, ſed per nequitiam noſtram non ſinimus eſſe efficacem. Poteratne Deus apertiora, illuſtrioraque nobis præbere monumenta ejus deſiderii, quo ſalutem noſtram concupiſcit? Pro ſalute noſtra plura præſtitit, quam quæ ipſi cupere poſſemus. Si nobis facta fuiſſet optio petendi pignus aliquod amoris ejus, & voluntatis ſalvandi nos; auſine fuiſſemus, vel occurriſſetne nobis cogitatio petendi, ut homo fieret pro nobis, & ea, quæ paſſus eſt pateretur? Denique illuſne adeo parum ſanæ mentis vir invenietur, ut credat, ut Deus ab infinito redemptionis beneficio vel unum hominem eximere voluerit? Quoniam pro omnibus mortuus eſt &c. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus. Tomo 1.*

Quantæ nobis Deo agendæ ſint gratiæ, quia nos præelegit ex tot decem millibus mortaliū, qui pereunt quotidie.

Dubitarene poſſumus de Divina erga nos bonitate? Hæc poteſtne apertius nobis indigitari? Ad eam cognoſcendam comparemus ſtatum noſtrum cum illo tot infidelium, Schiſmaticorum, Hæreticorum, qui circum undique extant. Major terrarum pars ab iis colitur, quibus veræ fidei lux non affulget, Catholiciſmus quintam fortaſſe partem terrarum non occupat. Ad hæc inter eos, qui eas incolunt terras, ubi vera colitur fides, quot Athei, impii, in omnem licentiam, effuſi, qui ſine fide vivunt in ipſo fidei centro? Quot, qui veræ Religionis meram habentes fidem, illius munera non explent propter defectum viventis fidei illius, quæ per charitatem operatur? Quot, qui in altiſſima degunt earum rerum ignorantia, quæ illis eſſent ſciendæ? Quot qui injuſtitias accumulant, & hac via locupletantes invictum ſaluti ſuæ obicem ſtatuunt? Quot qui ſeſe reos præbent eorum omnium ſcelerum, quæ qui comitterent, nequaquam in regnum cœlorum ingreſſuros eſſe edixit Apoſtolus? Quot, qui ſine multis ſceleribus in ſalutis ſuæ oblivione, & Cœleſtis regni negligentia verſantur? Auferte eos omnes, qui pœnitentiam non agunt; eos de prædeſtinatorum numero auferte; quid reliquum erit, niſi parva manus eorum, quibus fides, Religio, pietas, juſtitia commendata eſt? Qui de ſua ſalute ſolliciti, ſerio eidem vacent, vel qui poſtquam nimis facile ſeſe flagitiis omnibus ingurgitarunt, illa per pœnitentiam expiare contendunt. Modico huic numero proculdubio Cœlum deſtinatum eſt, & in modicum etiam hunc numerum vos Deus evocavit. Vos præelegit præ millibus, ut in hoc amicorum ſuorum albo recenſeret; & quibus hactenus vos gratiis cumulavit, ut ingrederemini? Neque de communibus, & generalibus gratiis loquor, ſed de peculiaribus illis ſubſidiis, de inſignibus prædilectionibus, de perſonalibus favoribus, quos non omnibus, uti vobis conceſſit, & qui ſatis palam oſtendunt, vos a Deo ad Cœli ſedem incolendam electos eſſe, & ſignificant peculiare illud deſiderium ſalvandi vos, licet *per adynaton* verum eſſet ab eo reliquam mundi partem fuiſſe derelictam. *Recens Auctor.*

Intereſt noſtra prædeſtinationis noſtræ ſecretum latere.

Voluit Deus, ut totius vitæ ſpatio in terribili hac incertitudine verſaremur; voluit nobis Deus fati noſtri ſecretum contegere, ut indeſinenter, ferventerque ſaluti noſtræ daremus operam. Heu! tanta ſit licet incertitudo noſtra, tot ſint metuendi, atque trepidandi cauſæ, non ideo minus noſmet periculo objicimus cupiditatibus noſtris inſerviendi; nec minus in omne nefas ruimus, & volutamur. Quid tandem eſſet, ſi de forte noſtra eſſemus ſecuri? Si eſſemus de noſtra prædeſtinatione præmoniti, quid nobis præcaveremus, ut a mali contagione præſervaremur? Quam vim nobiſmetipſis inferremus, ne torrente rapi ſineremus? Quam curam adhiberemus affectibus noſtris dominaturi, ac Chriſtianam vitam ducturi? Me jam damnatum eſſe ſcio, diceret procax quipiam; ergo voluptatibus omnibus indulgeamus. Scio, diceret ignavus, imperfectuſque Chriſtianus, me ſalvum fore: cur ergo me ipſum mortificem, ac mihi vim faciam? Cur bona opera facio? Cur me ipſum torqueo? Scio quænam ſors mea certiſſime futura ſit; fruſtra meis ſtudiis, & habitibus adverſabor. Inde vero, proh Deus, quænam in Univerſo terrarum orbe mala! quæ morum verecundia! quæ in ipſa Religione confuſio! Divinam adoremus in hac ſortis noſtræ incertitudine ſapientiam quandoquidem efficit, ut cum timore, & tremore ſalutem noſtram operemur. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Electi ii ſunt qui Deum amant, & pro viribus ſalutem ſuam operantur.

Rite horum verborum ſenſum aſſequamur: *Diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum.* Non dicit S. Paulus hæc omnia converti in utilitatem eorum, quos diligit Deus; amat enim omnes homines, ſed in eorum, qui diligunt Deum. Hoc in loco Apoſtolus prævertit, evertitque falſum eorum ſyſtema, qui de ſua ſalute non ſunt admodum ſolliciti; Deus enim, inquiunt, rem agit ſuam, & ſi illi prædeſtinati ſunt quocumque tamen res ceſſerit, ſemper omnia ex eorum voto contingent. Hæc inſignis eſt cæcitas; liquet enim Sanctum Paulum hominis cooperationem exigere, ut iſte ſalvetur. Et profecto quocumque tandem modo electio æterna explicetur, de fide eſt, Deum nequaquam nos ſanctos efficere, quin aliquid & nos ad id conferamus. Ad ſanctitatem nos vocat, omnia nobis ſuggerit ſanctitatis acquirendæ ſubſidia ſed nemini tribuit Chriſtianarum virtutum omnium congeriem, niſi homo ipſe aliquid conferat ex ſe, in quo ſanctitas vera conſiſtit. Nos invitat ad acquirendas virtutes, quibus ſancti fiunt; & mox ſingulis optionem facit ſemet ſanctificandi, vel perdendi. Sequimini ergo conſtanter Salvatoris vocantis vocem, quia veſtram ſalutem deſiderat, & eritis ex numero electorum. Si eidem non reſpondetis, reprobatio veſtra certa eſt, voſque eſtis cauſa unica interitus veſtri. *Idem Ibidem.*

Rom. 8.

Prædeſtinationis myſterium non obſtat quo minus timeamus vigilemus, oremus.

Si Prædeſtinatus ſum, inutile eſt, me timere; ſin ſecus, inutiles eſt me vigilare. Hoc illud eſt ſophiſma, quo impietas utitur; cum inde prorſus oppoſitum eſſet inferendum: prædeſtinatus ſum, ergo mihi ambulandum eſt cum timore. Et profecto ſi prædeſtinatus ſum, hoc ſum nonniſi per ea ſubſidia, quæ adjecit Deus prædeſtinationi meæ: at fides docet unum ex his ſubſidiis eſſe vigilantiam, & metum: quid ergo facio, cum iſtud negligo? Everto fundamenta, ſuper quæ ædifico, everto prædeſtinationem cum illam ſuppono; quia ab eadem ſeparo, quod ſeparari non poteſt. *Ex dictionario morali.*

Electorum numerus modicus eſt.

Intrate per anguſtam portam, Salvator ait; quæ enim ducit ad interitum lata eſt, & numerus tranſeuntium per illam magnus; quæ vero ducit ad vitam, arcta eſt, & pauci ejus aditum inveniunt. Plures vocati ſunt, & ex eorum etiam numero, qui vocati ſunt, pauci ſunt electi. Cum terribilis hæc veritas, quam toties diſcipulis ſuis iterabat Jeſus Chriſtus, aliquem ex illis impuliſſet, ut eum interrogarent: Adeone exiguus eſt eorum, qui ſalvi fient, numerus? Dei Filius hoc unum reddidit: Cœli porta arcta eſt, contendite intrare. Diffluit Scriptura figuris, probationibus, & exemplis terribilis hujus veritatis; & ſana ratio ſatis exiguum hunc numerum probat. Una tantum via eſt, quæ ducit in Cœlum, unum dumtaxat Evangelium eſt; at quotuſquiſque arctam hanc ſequitur viam? Quotuſquiſque Evangelii hujus dogmata ſectatur? Quinam eſſet nobis de veritate, & ſanctitate Religionis noſtræ conceptus, ſi poſt ea omnia, quæ dixit Jeſus Chriſtus, ſi poſt ea omnia, quæ ſancti fecerunt, magno in numero eſſent electi? *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Quid ſcire opus, & ſatis eſt de prædeſtinatione.

Prædeſtinatio noſtra nobis myſterium eſt; hujus cognitionem ſibi unice reſervat Deus; nec defuere ſummæ illius Sapientiæ rationes, ut ita operaretur. At nobis bonitas ejuſdem revelavit quid faciendum ſit nobis pro ſalute noſtra. Omnia rediguntur ad duplicem hanc veritatem, utramque ſimpliciſſimam, & intellectu faciliimam. Æterna felicitas noſtra adhæret fideli conſtantique noſtrorum officiorum obſervantiæ; ad hæc rite obeunda, numquam nobis deeſt gratia. Hæc nobis pro certis habenda ſunt; aliud præterea quærere in hac re, tribui non poteſt, niſi licentiæ, quæ neſcit amplius quam prætexere ſuis flagitiis excuſationem, vel ſuggeſtionibus dæmonis, qui ſanctis animabus

mabus negotium faceſſere oblectatur. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Mali Chriſtiani non minus reprobantur, quā Ethnici, infideles, & Heretici.

Non ſolum habita ratione infiniti propemodum numeri infidelium, Hæreticorum, & Schiſmaticorum, exiguus erit numerus illorum, qui ſalvabuntur, verum etiam ſi ſoli inſpiciantur fideles, qui in ipſo Eccleſiæ ſinu intereunt. Paucas inveniens veritates hac magis terribiles, & nulla fortaſſe hac apertior eſt, atque probatior. *Intrate per anguſtam portam: lata eſt via, qua ducit ad perditionem. Quam arcta eſt via, qua ducit ad vitam! Quam pauci ſunt, qui intrat per eam.* Et alibi: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Quibus verbis Salvator nobis oſtendit certam omnium hominum vocationem, *multi ſunt vocati*; per illa vero, *pauci electi* deſignat numerum nimis arctum futurum; pauci enim volunt exercere virtutes, quæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus. Tomo 2.*

Matth. 7.

Ibidem 21

Figura modici Electorū numeri.

Ex omnibus totius terrarum orbis habitatoribus una tantum familia ex diluvii aquis evaſit. Ex quinque oppidis cœleſti igne abſumptis, quatuor dumtaxat mortalibus flamma pepercit. Ex tot Paralyticis prope Piſcinam præſtolantibus, unus pro ſingulis vicibus curabatur. Exiguum electorum numerum comparat Iſaias paucis oleis, quæ poſt meſſem, relictæ ſuperſunt, & racemis paucis, qui vinitorum ſolertiam fallunt. Bone Deus! licet ex decem millibus mortalium unus tantum damnaretur; mihi tamen eſſet trepidandum. Heu! ex decem millibus fortaſſe vix unus ſalvabitur, & nihilominus vitam ſine ullo timore traducimus. *Id. Ibidem.*

Cum numerus verorum fidelium ſit exiguus; ſequitur exiguū etiam eſſe numerum prædeſtinatorū.

Licet fides non doceret nos terribilem hanc veritatem, poſitis quibuſdam Evangelicis principiis, de quibus Chriſtiani omnes conſentiunt: ſola ſufficeret ratio ad probandum numerum eorum, qui ſalvi futuri ſunt eſſe exiguum. Callentes noſtræ Religionis vera dogmata, Chriſtiani hominis officiis imbuti, de noſtra in vitium proclivitate, deque morum licentia eruditi, inſerrene poſſumus, fore ut multi ſalutem ſuam conſequantur? Ut quis ſalvus fiat, illi neceſſario vivendum eſt ſecundum Evangelica inſtituta; quotuſquiſque vero hodierna die vitam ſuam ad illa componit? Heu! quot mortalium nunc rubore plurimo ſuffunderentur, ſi tales viderentur? Abrenunciandum eſt effectu, vel affectu iis omnibus, quæ poſſidentur; crux ſemper eſt circumferenda. Integerrima requiritur puritas; ſumma conſcientiæ religio; humilitas ſincera; charitas ardens rectitudo perfecta. Ex hujuſmodi notis plurimos ne Jeſu Chriſti diſcipulos agnoſcitis? Hæc tamen ea ſunt, quæ prædeſtinationis noſtræ haberi poſſunt argumenta. Mundus infeſtiſſimus eſt Filii Dei hoſtis; utrumque ſimul dominum hunc ſequi, nemini certe licet. Ipſi uter major ſit numerus judicare; & inde cognoſcere poteritis, quam ſit exiguus numerus prædeſtinatorum. *P. Croiſet in Aſcetici Exercitationibus. Tomo 5.*

Quantumvis exiguus ſit Prædeſtinatorum numerus, contendendum nobis eſt ut ex illo ſimus.

Linquet paucos ſalvos factum iri, ubi conferantur cum admirabili fidelium intereuntium multitudine. Verum quamvis hic numerus longe minor eſſet, debemus tamen quocumque pretio contendere, ut ex hoc numero ſimus. Ad id autem hoc nobis proponamus conſilium omnes nervos ætatis, induſtriæque intendendi, nihilque pro tanti momenti negotio contemnendi. Via, quæ ducit ad vitam, arcta eſt; licet amor proprius obluctetur, licet omnes id ægre ferant cupiditates, duæ in cœlum non patent viæ. Igitur in arena, & hoc ipſo temporis momento conſilium capiamus, ultima quæque audendi, ut per anguſtam portam hanc ingrediamur. Fugiamus omnes directores doctoreſque laxos, Theologos, qui ſubinde novas ingerunt ſententias; hi mali ſunt duces. Via arcta eſt; nobiſmet perſuadeamus arduam etiam eſſe, ac difficilem, præſertim vero crucem bajulanti. Sed eligendumne eſt, cum unica eſt via? Dei Filius alteram non indigitavit. Nemo eorum qui ſalvi ſunt, aliam ſecutus eſt, num tu nactus es aliam? Hæc parum frequens eſt via; verum cave ne cum multitudine incedas; tumultus quem parit, ac pulvis quem excitat, prohibet ne errantes errorem ſentiamus; ſed cum multitudine ruimus in interitum. Mundum fugiamus, ejus placita horreamus, illud vero præcipue, quo jubemur aliorum facta, & exempla ſectari. Non aliam quam Evangelium, regulam ſequamur; quocumque pretio arctam hanc viam teneamus, & certi erimus nos in exiguo hoc grege recenſeri. *Idem Ibidem.*

Prædeſtinatio, & reprobatio ſunt ſecreta quæ humana mens penetrare non poteſt.

Cum loquitur S. Auguſt. de Divinæ providentiæ conſiliis in hoc humanæ ſalutis negotio, loquitur tamquam de intimo aulæ cujuſdam penetrali, ac receſſu, ubi conſilia conferuntur, atque capiuntur, quorum deinceps agnoſcuntur effectus, quorum tamen cauſæ, & rationes latent. Deus, qui ab æterno in ſalutis negotio protulit judicium ſuum jam conſilium cepit, decrevitque quidquid futurum eſt. Effectus ipſe, qui aliquando prodibit in horum quidem reprobatione, aliorum vero prædeſtinatione innoteſcet. Cauſæ vero, & rationes, propter quas ipſe ita egerit, litteræ nobis erunt ſignatæ; & ſi de hoc percontati quidquam fuerimus a S. Paulo Apoſt. ille, qui ad tertium uſque cœlum raptus, tot inde ſecreta detexit, reddet: *Quis cognovit ſenſum Domini; aut quis conſiliarius ejus fuit?* Magnum profecto eſt ſalutis negotium; immo unicum eſt; ſed de hoc agitur in profundis tenebris æternorum Dei conſiliorum. Propheta illud appellat. *Negotium perambulans in tenebris.* Quid hoc rei eſt? Negotium perambulat? & præterea perambulat in tenebris? hæ duæ ſunt difficultates difficiles explicatu? Heu! Chriſtiani, hoc negotium ſalutis noſtræ negotium eſt. Simile eſt illis judiciis, quæ de magiſtratu ad magiſtratum, de conſilio ad conſilium feruntur, de quo vulgo dicimus, hoc negotium perambulavit *a été bien promenée*, modo videbatur jam definitum, cum aliquid recens emergens obſtitit ne ad finem produceretur. Hoc, inquam, ſimile eſt noſtræ ſalutis negotio. Modo jam de illo actum videtur, & peccator jam videtur interiiſſe: cum Dei miſericordia intercedit, & provocat, moramque nectit; quæ ad mortem uſque trahitur atque finalem perſeverantiam, quæ omnia concludit. Ad hæc, negotium illud perambulat in tenebris, & quibus tenebris? Judicii videlicet Dei quæ omnes homines latent. Deus latet in tenebris, atque abdit ſe in caligine, quæ penetrari non poteſt. Numquid ſunt tenebræ in Deo? In luce enim, eaque inacceſſibili habitat. Quis oculorum aciem in lucem hanc intendere poſſet, quæ intellectuum maxime perſpicacium acumen habebat? *Auctor Recens.*

Rom. 11.

Pſ. 90.

Non ſine prævisione bonorum vel malorum operum vult Deus nos ſalvare aut damnare.

Licet ab æterno numeraverit Deus ut ita dicam multitudinem electorum ſuorum: nihil tamen decrevit inconſultis libertate, & actionibus noſtris; ad quod probandum ex infinita teſtimoniorum Veteris Teſtamenti nube, unum dumtaxat adferre ſatis puto. David ſcire cupiens quinam eſſent Cœleſti beatitudine donandi, quæſivit a Deo: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis ſtabit in monte ſancto tuo?* Deus vero qui per ſummam indulgntiam fidelium ſervorum ſuorum votis ſubſcribit, reddidit illi: *Qui ingreditur ſine macula; qui operatur juſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo.* Non ait, illi, quos data opera elegi, quos ab æterno ſalvos facere conſtitui, quin ullam meritorum eorumdem haberem, illi, in quos præter cæteros oculorum aciem conjeci: ſed paucis complectitur omnia bonorum operum genera, per quæ in Tabernaculum aditum patere vult. Et quia triplici modo poteſt aliquis mereri, cogitationibus, verbis, & factis, ad tria hæc reſpicit, ut intelligamus, ſe in tanti momenti negotio nihil determinaſſe, quin ſingula prænoverit & ut noſmet excitemus, quantum in nobis eſt, ad promerendam tribus hiſce rationibus gloriam immortalem. *Recens Auctor.*

Pſal. 6.

Pſal. 14.

Prædeſtinationis inſtitutio electis, & reprobis eſt utilis. S. Bonav. in vita S. Franciſci.

Prædeſtinationis, ſalutiſque incertitudo nonniſi moleſtiſſima bonis animabus accidere poteſt. Judicium ferre poſſumus ex eo, quod ſcriptum eſt de magno Patriarcha S. Franciſco, qui ſumma & inexplicabili affectus lætitia fuit, ubi Deus illi palam oſtendit, a ſe illi remiſſa fuiſſe peccata, quæ diutius lacrymis fuerat proſecutus. Verum ſumma licet moleſtia afficiantur diligentes Deum ob hanc incertitudinem; hic verus eſt effectus Divinæ in eos providentiæ, quia ſemper ſunt humiliores, verecundiores, atque vigilantiores. Quod ad reprobos pertinet, quam maximi intereſt eorum, non eſſe de fine, qui illos manet, ſollicitos. Utile ipſis eſt ignorare, quid ſibi ſit eventurum, ne per deſperationem in omne nefas ruentes multa fidelibus efferant mala, ideoque ſemper augentes & crimina ſua, & aliorum pœnas, majorem ſemper ſibi conflent damnationem. *Card. Bellarminus de gemitu columbæ.*

Bonæ conſcientiæ teſtimonium debet nos conſolari in noſtræ ſalutis incertitudine.

Cur cogitatis Deum voluiſſe nobis occulere, utrum ſimus in gratia, & utrum in ea ſimus perſeveraturi? Ut videlicet timeremus, vigilaremus, ſuperbiam noſtram frangeremus, ac in humilitate perſiſteremus. Deus hoc nobis ſecretum eſſe voluit, & abſconditum; ne quis, S. Auguſtinus ait, intumeſceret; ſed omnes, & illi etiam qui bene currunt, trepidare non ceſſarent: neſciunt enim quem finem habiturum ſit ſtadium ſuum. Cæterum quæcumque noſtra ſit hac in re incertitudo, viri boni animos deſpondere non debent. Qui enim ſincere, & cum timore Deo ſerviunt, plura habent indicia, & quibus cognoſcere poſſunt ſe amari a Deo, ejuſque voluntatem eſſe, ut in gratia ſua perſeverent. Hæc erat olim Sancti Bernardi ſententia dicentis: Quis gloriari poteſt, ſe ex electorum eſſe numero;

Lib. de Corrept. & gratia.

Serm. 1. Septuag.

mero; ſe ex illis eſſe, quos ille prædeſtinavit ad gloriam? Nihil in hac re certi habemus; ſed ſperamus, & ſpes hæc noſtra nos conſolatur. Idem Spiritus Sanctus in Scripturis nos docet bonam conſcientiam, ſpiritum contritionis, exercitium amoris Dei, patientiam in adverſis, in ærumnis, & ægritudinibus nobis eſſe cauſas ſummæ lætitiæ, firmæque ſpei, quæ omnes timores noſtros debet moderari. *Opera ſpiritualia Bloſii, & a Ponte.*

Salutem noſtram operari debemus cum timore, cui tamen immixta ſit confidentia in Deū. *Eccli. 9.*

Sacræ literæ, quibus monemur, & cum timore ſerviamus Deo, ſalutemque noſtram cum tremore operemur, nobis per hæc verba innuunt, quod alibi per os Sapientis dicunt; neminem ſcire utrum amore ſit dignus, an odio. Magna quidam felicitas eſt eſſe ex numero prædeſtinatorum ad vitam æternam; quos dedit Deus Filio ſuo, & quos nihil evellet de manibus ejus; verum quis novit an ipſe ex hoc numero ſit? Non vult Deus, ſecretum hoc nobis innoteſcere, vult ſolum *nos ſatagere ut certam vocationem noſtram, & electionem faciamus per bona opera noſtra.* Non igitur pati debemus, cor noſtrum perpetua obrui triſtitia propter jugem ambiguitatem, in qua ſumus electionis noſtræ; Sanctus enim Petrus Apoſtolus docet, nos ſanctum vitæ genus ducentes & bona exercentes opera illam certam nobis facturos: tunc enim Spiritus Sanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod Deo ſumus fideles; ſed quod qui hodie bene vivit, cras labi poteſt: opus eſt, ut interior voluptas, qua perfundimur, ſit cum humili noſtræ infirmitatis timore conjuncta, quandoquidem ita natura facti ſumus ut ſemper in terram inclinemus. *Tourneux in Anno Chriſtiano. Tomo 8.*

Ep. Petr.

Per opera bona ſcribimur in libro vitæ; per mala autem delemur.

Cum Dei Filius dixit diſcipulis ſuis: Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ, nequaquam illos prædeſtinatos eſſe affirmavit; ſed eos docuit, ſi prædeſtinatorum opera feciſſent, ac fideliter Deum coluiſſent, ſancte, ac pie vivendo, illos ſperare poſſe, immo etiam debere, ſe in beatorum numero futuros. Novit Deus, verum eſt, qui ſui ſunt; novit eos, qui per perſeverantiam victoriam ſunt relaturi; non ille, nec alius quilibet ea nomina delet, quæ hoc pacto ſcripta ſunt; nos vero, qui in fidei caligine vivimus, noſmetipſos, ut ita dicam, per bona opera ſcribimus, & per peccata delemus. Lætari quidem poſſumus ob eam virtutem, quam hodie exercemus; & ex conſcientiæ noſtræ teſtimonio aliquam percipere poſſumus conſolationem; verum opus eſt ne huic gaudio venenum afflet hæc vanitas, quæ crebro opera bona ſubſequitur, ſi enim Deus noſmet nobis traderet, in craſtinum, non eſſemus illius. Timeamus ergo ne labamur, ſed timeamus freti fore ut Deus nobis præſtet auxilium, ut compleamus, quod incœpimus per gratiam ſuam; & eas quas hactenus largitus eſt nobis tamquam finalis gratiæ arrhas inſpiciamus. *Tourneux ibidem.*

Licet prædeſtinationis ſecretum aſſequi nequeamus, non ideo minus ſaluti noſtræ invigilare debemus.

Fatendum eſt humanæ prædeſtinationis, & reprobationis ſecretum intelligi nequaquam poſſe; Dei de fato noſtro providentiam admirabilem eſſe, & ejus judicia humanis eſſe mentibus invia. Ubi cogito terribilem tot peccantium reprobationem, & aliorum quorumdam glorioſam electionem, videre mihi videor duo fictilia, quæ Deus olim Prophetæ Jeremiæ oſtendit, quorum alterum contractum eſt; *Diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat*, alterum vero conſervatum eſt *quia placuerat oculis ejus*. Levem nobis magni hujus ſecreti imaginem Sanctus Paulus Apoſtolus nobis tribuit his verbis: *Aliud nos in honorem, aliud in contumeliam*. Duo ſunt vaſa, inquit, alterum quidem honoris, contumeliæ alterum; non quaſi innuere velit Deum eſſe damnationis cujuſquam auctorem; cum ipſe peccator ſit æterni ſui interitus cauſa; ſed ut juxta ea, quæ docet Princeps Apoſtolorum, ipſi nobis electionem, ſalutemque noſtram procuremus. Duorum horum caſuum adeo diſcrepantium apertiſſimum in collegio Apoſtolico habemus exemplum. Quis non crediḋiſſet Apoſtolum a quo Dei Filius venditus fuit, electum, ut apud barbaras gentes nominis ejuſdem gloriam proferret, gratiam adeo ſublimem, adeo parvo in diſcrimine eſſe habiturum. Quis non cogitaſſet illum ad tantum dignitatis faſtigium promotum, ſeſſurum eſſe ſuper unum ex duodecim ſoliis judicaturum duodecim tribus Iſrael, omnes videlicet populos terrarum? Attamen vir hic, quem tot beneficiis Salvator affecerat, qui unum erat cum illo: *Homo unanimis, & notus meus*, inquit Propheta, de tanta decidit dignitate. Huc uſque evaſit perfidiæ, ut benefactorem, Deumque ſuum proderet, atque venundaret. Cur hoc? Non quod Salvator illum perdere vellet, *nollens aliquos perire*, Sanctus Petrus ait: Sed quod miſer uti noluit infinitis

Jerem. 18.
Ibid.
Rom. 9.
Pſ. 54.
1. Petr. 3.

propemodum gratiis, quas illi Dominus adeo beneficus conceſſerat. *Auctor Recens.*

Judas culpa ſua incidit in reprobationem.

Judæ reprobatio nequaquam argumento eſt, quaſi Deus illum ad proditionem adeo nefariam efficiendam procuraverit; ſed juſtiſſimum fuit ſuæ infidelitatis, ſuæque ingratitudinis ſupplicium. Cupiebas Domine ex eo eximium ſanctitate virum efficere, & reprobus infelix factus eſt. Longe plurimis illum prætuleras, ut ad glorioſum Apoſtolatus munus illum proveheres, ſed nequiſſimo ſcelere optima Providentiæ tuæ conſilia fefellit. Generali vocationi non parum adjeceras, quippe ſocium tibi optaveras, & gratiis peculiaribus eumdem ornaveras. Effeceras illum eleemoſynarum tuarum, earum videlicet, quæ tibi ad alendum Apoſtolicum Collegium offerebantur, promum condum. Temet ad illius uſque pedes in Cœnaculo abjeceras; & effeceras, ut intelligeret tibi apertum eſſe teterrimum illud conſilium, quod inierat, ut ejuſdem horrorem eidem immitteres. Illum amicum vocaſti, cum execrabile tibi oſculum fixit; Quodnam cor licet æneum tot Divinæ bonitatis illecebris voluiſſet reſiſtere? Tamen hoc ingratitudinis, ac infidelitatis monſtrum tot gratiis abuſum eſt. Quis negare poteſt, juſtiſſimum fuiſſe ſumptum de carnifice deteſtabili ſupplicium; qui ſuopte ingenio libens, & volens in tantum ſcelus ſe præcipitem dedit? *Ex ſpecimine Orationum Panegyricarum. Tomo 1.*

Ipſa etiam Electorum peccata Deus eorum ſubjicit prædeſtinationi.

Sanctus Auguſt. ait ipſa etiam peccata Electorum non abhorrere ab ordine prædeſtinationis eorum, & Deum ideo lapſus illorum permittere, ut inde bonum pœnitentiæ illorum eliciat. Magnæ quippe virtutes profundæ inniti debent humilitati; & ſæpe neceſſe eſt, ut confuſio, quæ ex peccato oritur, nobis ingerat ſenſus humilitatis quos non haberemus, ſi innocentiam ſemper ſartam tectam tueremur. Humilitas cum ſit baſis, & virtutum omnium fundamentum, ſequitur neceſſario eam ſimul eſſe argumentum modo iter certum prædeſtinationis Electorum, immo etiam elationis eorum ad ſublimiorem apicem ſanctitatis. Peccatum igitur, licet ex diametro oppoſitum charitati, quæ nos Deo conjungit, noſtræ confert Prædeſtinationi; confert autem per altiſſimam humilitatem ad quam nos adducit, ubi ſemel noſtras iniquitates attentius intueamur. In ipſo Apoſtolorum Principe apertiſſimum intuemur eorum quæ dico, exemplum. Permiſit Deus, ut ille in tantum rueret ſcelus, & magiſtrum, Dominumque ſuum ſe noſſe abnegaret; & negotioni adderet juramentum. Quid inde tamen? Apoſtolus ille reverſus longe humilior factus eſt; humilitas vero in cauſa fuit, ut non ſolum ſupremum illum apicem mereretur, ad quem Dei Filius illum provexit, verum etiam ut ſimul diſceret uti clementia cum fratribus ſuis, conſiderans humanæ naturæ fragilitatem, propter quam homo quilibet propria culpa ruere poteſt in interitum. *Ibidem.*

Divinæ juſtitiæ ſecreta tantum noſtras cogitationes excedunt quantū Cœli ſuper noſtrum caput attolluntur.

Cum Deus ſinit creaturas ſuas labi in nihilum, & ex earum interitu alias efficit, cum ad Regni ſolium evehit, qui ſqualebant in vinculis, & dimittit ſuperbos de ſede, ut illos in ſervitutis ſtatum dejiciat; hic ludus eſt Providentiæ ſuæ. *Ludens in orbe terrarum*, Sapiens inquit, cum vero ex hominibus quos ſuo redemit ſanguine, alios quidem eligit, alios autem reprobat; eos, qui minora ſortiti ſunt talenta præfert iis, qui præſtantioribus nitent, ut illis ſublimiores committat provincias, & ad eminentiores dignitates attollat: hoc myſterium eſt Divinæ hujus Sapientiæ, cujus conſilia tantum noſtris excellentiora ſunt, quantum cœlum ſuper terram attollitur, & cujus fines creato ſpiritui ſunt invii. Ad hac Divina Sapientia proficiſcuntur effectus adeo miri, ut univerſum terrarum orbem profundo ſtupore defixum teneant. Ex hoc inacceſſibili Sanctæ Majeſtatis penetrali egrediuntur illi adeo terribiles juſtitiæ ictus, qui momento omnes gigantum terræ auſus profligant, qui non ferenda ſuperbia tumentes minitabantur in Cœlum aſcendere & ſuper impoſitis montibus ſcalarum inſtar vi cœleſti arce potiri. *Ex ſpecimine Orationum Panegyricarum. Tomo 1.*

Prov. 8.

Charitas diſtinguens Dei Filios a filiis Dæmonis nota eſt prædeſtinationis.

Charitas, qua proximum noſtrum proſequimur, non ſolum certiſſimum, atque apertiſſimum eſt noſtri erga Deum amoris indicium, verum etiam eſt ſolidiſſimum noſtræ prædeſtinationis argumentum. Charitas, Sanctus Joannes inquit, diſtinguit Sathanæ filios, hoc eſt reprobos a filiis Dei, hoc eſt a prædeſtinatis. *In hoc manifeſte ſunt filii Dei, & filii Diaboli.* Charitas hæc erga proximum, dicit dilectus Apoſtolus, certiſſimum eſt indicium illius, qua diligimus Deum, & apertiſſimus noſtræ prædeſtinationis caracter: e contra vero charitatis defectus non dubium eſt indicium reprobationis. Cum minime valemus ſatis teſtari noſtri

Joann. 3.

noſtri erga Salvatorem grati animi ſenſus eos honores adhibendo, qui ad ipſum potiſſimum dirigantur, quoniam bonis noſtris non indiget, hæc nobis ſaltem eſt conſolatio, quod illi in perſona fratrum noſtrorum gratificamur, qui æque & illius fratres, atque membra ſunt: atque ita teſtatur, ſibi ea, quæ illis bona conferimus, adeo eſſe jucunda, & accepta, ac ſi hæc illi faceremus; eorumque fideliſſimam habet rationem, nos ex hoc ipſo tempore deſcribens pro minimis rebus in numero electorum; quæ merces profecto digna eſt Domino adeo magnifico, & liberali. *Spiritus Chriſtianiſmi P. Nepveu.*

PRÆSENTIA DEI.

PRAXIS PRÆSENTIÆ DEI, EFFECTUS QUOS IN ANIMA GIGNIT, &c.

MONITUM.

IN collectione hac, non ſecus ac in concione de præſentia Dei, ſeparari minime poteſt immenſitas ſupremi hujus Entis, quod ubique eſt, & in entibus omnibus reperitur. Verum ſi operæ pretium non fuerit hac de re fuſius verba facere, ſaltem ſupponenda eſt, tanquam fundamentum earum rerum, quæ ſunt pertractandæ; ſed ex cogitatione, & conſideratione a Chriſtiano facienda de Deo, qui per eſſentiam, potentiam, ac viſionem ſuam præſens eſt, valida hauriri poſſunt argumenta illum metuendi, amandi, colendi, verbo, omnia coram eodem agendi.

Nemo poteſt ambigere, utrum hoc argumentum utiliſſimum ſit, & ad formandos mores pertineat; & quamvis contineat generalem bene vivendi rationem, quæ in pluribus aliis etiam argumentis occurrit, optandum eſſet, hoc ſæpius, præſertim vero de ſuggeſtu pertractari, quemadmodum ab Aſceticis fieri conſuevit. Pauca ſunt, quæ latiorem eloquentiæ campum aperiant, pauca, ubi de ſublimioribus agi poſſit: quandoqudem hic omnes Dei perfectiones concurrunt, illa etiam, quæ aptiſſima ſunt ad ſeu peccatorum, ſeu bonorum hominum mentes, animoſque permovendos.

Cæterum argumentum hoc nequaquam adeo arctis finibus continetur, neque adeo ſterile eſt, ut primo ſtatim intuitu videri poteſt: omnis fere morum diſciplina hic locum habere poteſt, fierique poſſunt inductiones omnium ſtatuum, conditionum, omniumque actionum vitæ. Pauca ſunt argumenta, in quibus Biblia, Patres, Theologi, Aſceticique nobis nobiliores ſuppeditent ſenſus, ideoque concionatori locum tribuant majores motus excitandi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Structura.

I. PRima, quæ ſeſe ultro offerat hoc in argumento, concionis idea eſt oſtendere praxim Divinæ præſentiæ tutiſſimam, efficaciſſimamque viam eſſe, per quam in Chriſtiana religione pervenire valeamus ad vitæ ſanctitatem, & ad perfectionem, quam nos docet, nobiſque præſcribit. Ut hoc nobis perſuaſum ſit, tanquam certa, ac indubitata veritas, ſupponendum eſt, ſanctitatem, atque perfectionem, ad quam omnis Chriſtianus contendere debet, tribus in rebus conſiſtere. 1. In peccati fuga: 2. in praxi virtutum, ac in ſtatus noſtri muneribus obeundis: 3. in unione cum Deo per ardentem charitatem, integramque cultui ejuſdem devotionem. Deinde oſtendendum eſt in totidem partibus, Divinæ præſentiæ cogitationem validum eſſe ſubſidium ad tria hæc obſervanda cum ea perfectione, quæ maxima fieri poteſt.

Pars prima. Quod ſpectat ad peccati fugam. 1. Hæc veritas eſt ex ſolo rationis lumine comperta, utque ipſis etiam Ethnicis explorata, quandoquidem illorum Philoſophi eam attulerunt pro fundamento, ac primo diſciplinæ moralis effato, uti videre eſt ex pluribus, iiſque admirabilibus Senecæ locis, qui hac in re, uti Chriſtianum decet, locutus eſt. 2. Inutile eſt omnium Patrum ſententias adfere, ut hæc probetur veritas, quam Spiritus Sanctus paſſim docuit in Scripturis; ita ut Prophetæ nullum aptius, ac vehementius frænum inveniant ad peccatorum compeſcendam inſolentiam, quam illos admonere, ipſos a Deo videri, & vindice oculo reſpici, necnon illum nequaquam paſſurum impune abire eum, qui coram ipſo peccaverit: atque ne credant ſe illius acutiſſimam oculorum aciem fallere poſſe, hunc ſecretiſſimas etiam eorum intentiones ſcrutari, atque in corde ipſorum omnes illorum cogitationes tanquam in tabula deſcriptas perlegere. 3. Quotidiana docet experientia ſatis eſſe principis alicujus viri, magiſtratus, vel illius, qui vel dignitate, vel auctoritate gravis eſt, præſentiam ad furentis cupiditatis impetum frænandum; necnon unum ſufficere teſtem, ne in ipſo affectus æſtu crimen aliquod perpetretur. Quid igitur Dei præſentia non obtinet, ſi alte fuerit in mente peccatoris impreſſa? Hinc inferri cum Prophetis poteſt omnium malorum, ac ſcelerum, quæ in mundo committuntur, originem inde exiſtere, quod homines ſibi Deum nequaquam proponunt præſentem.

Pars altera. Cogitatio Dei ubique præſentis, atque omnium actionum noſtrarum teſtis nos ad omnium Chriſtianarum virtutum exercitationem impellit. Hoc ipſe Regius Propheta teſtatur Pſalm. 118. *Servavi mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* 1. Si enim regis, vel imperatoris adſpectus milites ad ſtrenue præliandum excitat, eiſque animos addit, ut in certamine virtus ipſorum effulgeat, quid non efficiet Dei viventis præſentia, oculos in nos ſemper figentis, ut ipſe teſtatur Pſalm. 116. *Firmabo ſuper te oculos meos*: ac præterea nobiſcum agentis, atque agendi vim, & facultatem conferentis? Si hanc cogitationem ſæpe actu conciperemus, qua diligentia, qua fide omnibus ſeu religionis, ſeu ſtatus noſtri perfungeremur officiis? Quinam eſſet in precibus fervor nobis cum Deo præſente, & audiente loquentibus? Quæ puritas intentionis in omnibus cœptis, conſiliiſque noſtris? quæ circumſpectio in omnibus verbis, geſtibus, & actionibus? Ubi licet per præcipua vitæ munera, ſtatus, & actiones diſcurrere: 2. & deinde oſtendere Dei præſentis cogitationem effecturam, ut majori, qua fieri poſſit, perfectione omnia munera noſtra obeamus: 3. concludere, hanc Dei præſentis cogitationem effeciſſe, ut omnes Sancti maxima quæque aggrederentur; eamque nos excitare debere ad omnia bona opera ſuſcipienda, quorum Deus teſtis erit, & pro quibus æterna præmia concedet; hanc eſſe, quæ nos inflammare debet ad omnes difficultates ſuperandas, & quodlibet aggrediendum pro Domino, qui videt non ſolum operam, quæ ſibi præſtatur, verum eam etiam, quam illi præſtare cuperemus, & quidquid propter amorem ipſius vellemus efficere.

Pars tertia. Chriſtiani perfectio tandem conſiſtit, vel potius perficitur per unionem cum Deo, qua non aliam in hac vita cum eodem habere poſſumus arctiorem. Hæc autem unio fit per vivam fidem, charitatem ardentem, & conformitatem ſenſuum, voluntatum, cogitationum, & affectuum. Quis non videt cogitationem Dei, qui nos ſuo dignatur amore, & qui patitur ſe a nobis tanquam fideliſſimum amicum haberi; quis non videt, inquam, cogitationem hanc nos poſſe cum eodem conjungere? Abſentia, quæ amicos ſeparat, ſæpe etiam eorum amorem imminuit, & extinguit, ſed Deus nunquam recedit a nobis, ſingulis momentis præſentia illius frui poſſumus: verbo, ejus eſſentia, adſpectus, operatio, per quæ neceſſario nobis